RAPHAËL ELISEI

QUÆSTIONES PROPERTIANÆ

ASISII MDCCCC
EX OFFICINA METASTASIANA
ALOYSII VIGNATI

Constantine fund.

FELICI RAMORINO

PRAECEPTORI OPTIMO ATQUE HUMANISSIMO

MAXIMAS AGENS GRATIAS

MAIORES ETIAM HABENS

QUÆSTIONES PROPERTIANÆ

Inter eruditorum quaestiones quae iamdiu ingenia magis torquent, praeter illam de Patria Sex. Propertii quam paulo superiore memoria ipsi tractavimus, (1) aliae duae in ipsis Propertii carminibus praecipue nobis occurrunt, quarum altera est:

« Quonam tempore elegia prima prae ceteris libri « primi scripta sit »;

altera vero:

« Quot libris opus Propertii contineatur; quatuorne, « uti veteres perhibent manuscripti; an quinque, « veluti Carolo Lachmanno viro illi doctissimo po- « tius est visum ».

Quae utraque ab ipso Lachmanno originem ducit. Nonnulli autem subsecuti sunt, qui aut plane cum Lachmanno facerent, aut partim aut omnino ei repugnarent: quorum sane sententiae cum ita multae variaeque sint prolatae, minime tamen de his rebus inter sese studiosi adhuc convenere. Propositum ergo nobis est has duas quas diximus vexatissimas quaestiones ita modo retractare ut, ceterorum sententiis ante perpensis, aut refellamus ut illud quidem constet quod iampridem nobis cognitum perspectumque est, Propertii carmina optime eo quo nunc habemus ordine disposita nec non com-

(1) Della città natale di S. Properzio, Saggio di un nuovo studio, Assisi. In actis Acad. Prop., m. Jul. a. 1898. — Eam in compendium redactam et novis adhibitis curis extrema hac in opella in lucem emittendam denuo curavimus.

posita esse; aut novi quid et nos ad obscuriores Propertii locos declarandos, pro virili parte, afferamus: praeterea liquidum exinde fiat, difficultates quae nec parvae nec rarae, ob veterum librorum menda atque singulare quoddam dicendi genus, in Propertii lectione inveniuntur, maiora in dies frequentioraque interpretum opera esse facta, qui, aut parum considerate aut ingenio minus natura ad poesim comparato, ad Romanum Callimachum accesserunt.

QUAESTIO I.

Quonam tempore elegia 1. prae ceteris libri I. scripta sit.

A

I. — In el. 16 lib. III. legitur versus (9):

« Peccaram semel, *totum* sum pulsus in *annum;* »

quocum illum conferens (7) el. 1. lib. I.:

« Et mihi jam *toto* furor hic non deficit *anno,* »

cum arbitraretur Lachmannus non tantum verbis, verum et sensu hos duos versus inter se convenire, statuit hanc primam libri primi elegiam medio in amore a Propertio scriptam, cum propter aliquam amatoris infidelitatem, eum per anni spatium amica repudiasset. (1) Cui quidem opinioni quot refragentur facile est videre. Si enim ante omnia integrae elegiae, ad quam primus ille versus pertinet, tenorem spectemus, nobis erit persuasum longe aliam ac ratus est Lachmannus Propertii culpam qua se tum incusat fuisse, cum pericula nocturni itineris obire satius ducit, quam severae Cynthiae iussum se Tiburem subito vocantis negligere. Quod si quae sequuntur extremis

(1) Lachmann, Prop. Carm., 1816. Praef., p. 23-26.

1. el. Lib. I. versibus (31, 32, 35, 36,) praecipue verbis *semper pares* et *assueto*, Lachmanni interpretationem confirmare videntur, at possunt tamen, nulla prorsus poetae ratione habita, universim omnibus quos eo loco Propertius alloquitur putari dicta. — Deinde, cui stili discrepantia quae duo haec inter carmina intercedit non appareat: cum alterius, i. e. III. 16., is humilis sit atque remissus, ut eum decet qui se in culpa vere profitetur; alterius autem, nempe I. 1., concitatus ac violentus, velut indignantis propter diuturnam puellae asperitatem, quae tam longo tam fideli tam duro a poeta suscepto servitio minime moveretur? — Sed maiora obstant.

Etenim quatuor primum distichon versus excipientes ita Lachmannus interpretatur, ut is *lumina constantis fastus* (3.) dictum teneat de quo tempore poeta Cynthiae amore frueretur: *Amorem* vero *supra caput Prop. stantem* (4.; cf. II. 30, 7.), atque huius *odium in castas puellas* (5.), discidii tempus intelligamus velit, ut si poeta ab amico dimissus, licentius tunc se agens, in Suburram ventitare instituisset. Quod, credo, Lachmannus nequaquam putasset si accuratius in Propertii stilum inquisiisset. Duplex enim amoris genus a Prop. distinguitur: amor *tepidus* (I. 13, 26.), *vulgaris* (Ib. 12.) in *vagas puellas* (I. 5, 7.), quibus deceptis amatoris *fama augetur* (I. 13, 5.): at *verus* (II. 15, 30.), *magnus* (I. 19, 12.) amor, sive *furor* (I. 1, 7. et passim), cum aliqua *digna* supervenerit puella (I. 13, 7, 29.) quae *una alliget fero animo virum* (I. 5, 12.); quae sit *illarum contempti poena doloris*, *multarumque miseras exigat vices* (I. 13, 9, 10.); quae *vulgares compescat amores* (ib. 11.) *faces non tepidas subdens* (ib. 26.), nec sinat *praeteritos succedere fastus* (ib. 27.), eos nempe quos ducere solitos amantes Propertius supra docuit (ib. 5, 9.), quibus cum vagis puellis res fuisset. Haec quidem amoris considerandi ratio cum fere in Propertii libris eadem inveniatur, in 13. libri I. elegia maxime est videre, in qua totus est poeta ut Gallum amicum in primum amorem lapsum in eodem confirmet, vaga tandem Venere relicta: neque quemquam, mea sententia, fugere debuit, ut omnes fugisse video, quam arctissimo 1. ac 13. lib. I. ell. vinculo inter se contineantur, ut quamdam ex hac lucem ad illius sententiam minus apertam intellegendam promere possimus.

Opportune praeterea hic negat Hertzbergius (1) quid sibi vellet se videre Milanionis exemplum (9, 16.) si, ut placuit Lachmanno, quatuor hi versus essent intellegendi. Ubi enim *labores* (9.), ubi *preces et benefacta* (16.) Propertii, ut mitem sibi Cynthiam redderet, inveniemus? Nempe in Suburra omnia! Quomodo, etiam adici potest, in se hoc idem exemplum Propertius vertisset, si iam pridem Cynthiae amorem adeptus esset, cum de *primo* Milanionis amore illic agatur?

Sed alia mittens minoris momenti, omnibus puto quae ad Lachmanni interpretationem reiciendam argumenta adhuc attulimus sat esse: atque iure quodam nostro hic plane statuere posse — neque *anni discidio*, cuius in el. 16. lib. III. fit mentio, quicquam esse rei cum *toto furoris anno*, quo amorem adversum habuit Propertius uti nos docet el. 1. lib. I: — neque ipsam hanc elegiam tum a Prop. fuisse scriptam cum ob aliquam suam culpam, postquam cum Cynthia simul per aliquod tempus felix vixit, pulsus, favorem eius reciperare niteretur. —

II. — Iam venimus ad sententiam eorum recensendam qui hanc primam libri primi elegiam *prologi* tamquam munere fungi putaverunt, utque prologorum natura fert, omnium libri I. postremam scriptam protinus tuentur; ita ut eo versu:

« Et mihi jam toto furor hic non deficit anno »

de discidio locutus fuisset Propertius, quod extremum illud tempus subsecutum est cui cetera libri carmina sunt tribuenda. Horum sententiae etiam Plessisius (2) vel eo suffragatus est, quod minime sibi verisimile videretur, Cynthiam levitatis fama eximiam tandiu sollicitis poetae precibus restitisse. Cuiusmodi vero argumentationem Girius (3) noster ut refelleret, haec tria potissimum adversus Plessisium

---

(1) Hertzberg, Prop. El. T. I. Quaest., p. 42.
(2) Plessis, Étud. crit. sur Prop., Paris, 1884 p. 230.
(3) G. Giri, Sul primo libro delle elegie di P., Palermo, Virzi 1898; pagg. 1-25.

attulit: nempe Cynthiae superbiae potius quam levitati hoc tribui posse quippe cui suimet ipsius servae Lycinnae [1] cum Prop.° amicitia forte nota fuisset: aut etiam nimiae Propertii timiditati, admodum tunc temporis adolescentis, adscribendum: vel potius verbis *toto anno* non certum et definitum spatium a poeta memoratum, sed, ut eorum mos est qui a se benefacta in alios commendare velint, valde verum excessisse, sicut alibi idem egisse plane videmus, cum *tres* aut ne tres quidem integros annos *multos* annos vocasset. [2]

Quibus alia nec fortasse minora subicienda mihi videntur. Qui enim nos adfirmare possumus Cynthiam ita perditos mores olim habuisse ut dehinc eam poetae verbis praeditam fuisse scimus, cum et de Corynna sua fateatur Ovidius [3] facilem se omnibus postea praestitisse quam celebris per vulgi ora carminum ipsius gratia ferri esset coepta? Illud praeterea oportet meminisse, neque nobilem neque divitem, [4] neque valido corpore, [5] nondum etiam carminibus [6] clarum Propertium esse, omnibus denique eum tum virtutibus destitutum, quibus solis Cynthiae animum sibi facile conciliare potuisset. Postremo, secus ac Plessisius animadvertit, minime alienum a natura eiusmodi mulierum mihi videtur, quos amatores sibi deditiores fervidioresque viderint, eos ut arctius sibi alligent atque ignem eorum foveant, diutius ac longius ab se detinere, castos et severos mores simulantes. Quae nobis facilius persuadebimus considerantibus Cynthiam, etsi tot varias insignesque virtutes, quot amans poeta cecinit, nos ei tribuere nolimus, at certe cum vulgaribus vilibusque puellis conferendam non esse ut, qui primus se obtulisset, deditura se fuisset. Hactenus in Plessisii argumentationem.

Alteram praeterea in hanc rem alii duxerunt ab elegia ultima

---

(1) Cf. Prop. III. 15, 3-6.
(2) II. 8, 13-14; III. 15, 7; III. 24, 23.
(3) Cf. Ov. Am. 12, 5-14.
(4) II. 16, 19; II. 24, 37-38, 49.
(5) II. 16, 27; II. 22, 21.
(6) I. 8, 39-40; II. 3, 21-22; II. 13, 7-12; II. 24, 21-23; II. 26, 21-26; et passim.

l. III., in qua, pessimis puellae moribus tandem poeta permotus, in perpetuum ei valedicens, cum, praeter cetera haec habeat (v. 5.):

« Nil moveor lacrimis: ista sum captus ab arte, »

his profecto versus extremis verbis, si eos audiamus, indicasset Propertius non se initio Cynthiae amore correptum, sed e contrario Cynthiae se precibus fuisse sollicitatum; cui quidem opinioni suffragari videtur elegia 3. lib. I., ubi puellam poeta inducit querentem quod, iam multa nocte, solam is se domi relinquat cum alios eat amores foras ipse sectatum. Inepte sane dictum! Etenim supra memoravimus qualicumque Propertium tum dote carere quae inter tot nobilissimos ditissimosque cives. Romanos insignem eum Cynthiae oculis redderet. Quid vero de Propertio dicendum diu contra amorem Cynthiae ita restitisse ut lacrimis eam provocaret, eum nempe qui, velut proprio nomine, et a semet ipso aliorumque testimonio, *blandus,* seu tener, cupidus, in amore nuncupetur: seque *mollem in omnes puellas* fateatur (II. 22, 13.) atque *natura, ut alia aliis, sibi vitium datum semper amare aliquid, neque velle ad formosas umquam esse caecum licet Thamyrae cantoris fata sequerentur?* (Ib. vv. 17-20). Ut vero aptius magisque naturae consentaneum, elegiam 3. lib. I. cum ceteris omnibus conferentes, sic interpretari ut, quod fieri solet, Cynthiam Propertius tandem adeptus, postmodo autem satietate adfectus, ad praeteritos vulgares amores cum rediisset, ex his denuo ad neglectam puellam, violatae fidei suspicione, revocatus esset, magisque in dies postea accensus captusque, alternaque fortuna semper iactatus! Quod cum ita sit, facilis et versus ille intellectu est, si huiusmodi amorum animo naturam nobis proponamus: ut saepe mulieres infideles a se amantes abducere rursusque ad sese reducere conentur, eorum infidelitatem vel fictam obicientes, seque multo strepitu fletuque ab ipsis proditas querentes. Quod saepissime accidisse cum sua Cynthia Propertio minime dubitaturum certo scio quicumque ex Propertii libris Cynthiae ingenium moresque norit: neque desunt loci qui hoc idem nobis apertissime confirment (I. 18, 9-16. II. 20, 1-4.); nec non pentameter ipse qui, de quo agitur, hexametrum subsequitur:

« Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles; »

qui, propter verba *semper* (cf: v. 3. « *Quinque* tibi potui servire fideliter annos ») et *ab insidiis,* quantum nostrae interpretationi convenit, tantum illi repugnat quam hactenus refellere conati sumus.

Versus I. 1, 32:

« Sitis et in tuto semper amore pares, »

quem hi quoque, ut Lachmannus, in suum usum convertunt ut primam elegiam postremam scriptam probent, quomodo interpretari debeatur iam vidimus: quare hic alia minoris momenti silentio transeuntes, ad maiora nunc iter pergamus quibus praecipue apparebit nequaquam horum sententiam defendi posse.

Etenim qui 1. elegiam ultimam scriptam tenent, hanc inter et extremam eiusdem libri quandam rationem intercedere debere necesse est concedant, ut prologorum est precipuos totius operis, extremos praesertim sensus, brevi resumere. Verum, hac quidem in re, tantum prima postremaque (19.ª) ad Cynthiam lib. I. elegiae differunt inter se ut quae maxime: cum illa poetam exhibeat ira in Cyntiam maxime concitum, et ad desperationem prope adductum ad omnia ut ex eius vinculis extricaretur paratum; haec autem cum Cynthia in gratiam reversum, eiusque in posterum ita certum amoris, dum ipse viveret, ut qui sibi remansisset timor ne amica rursum esset infidelis, suimet post funus solum spectaret: atque ita elegia desinit:

« Quare dum licet inter nos laetemur amantes:
Non satis est ullo tempore longus amor. »

Quod autem sint qui contendant, primae elegiae non cum extremis sed cum aliqua ceterarum necessitudinem esse posse, quae nobis amantes quoquo modo inter se dissidentes exhibeant, rem prorsus ridiculam eos defendere facile demonstrabimus: et prologorum natura, qui tenorem ab extremo opere maxime ducere solere iam memoravimus; praecipue vero si quam Propertius sui amoris naturam ipse exprimit animadvertamus: nempe singulas lib. I. ubi discordes amantes adparent elegias recensentes, 8., dico, 11. 12. 15. 18.; in omnibus

querentem non imprecantem relictum amatorem videbimus, desiderium ei et fiduciam reconciliationis non desperationem esse, et qualiscumque illi futura esset Cynthia, perpetuum suum amorem atque servitutem fore promittere. Quae quidem duobus his versibus colligi possunt:

« Omnia consuevi timidus perferre superbae
Iussa.... » (I. 18, 25.)
« Mi neque amare aliam neque ab hac desistere
Fas est » (I. 12, 19.),

saepissime in Propertii libris repetita, ut illud de hac re profecto liceat affirmare, Propertium, uti fit, dum Cynthia ipsi restitit, indignationi semel indulgere atque in desperationem adduci iure potuisse; verum amore puellae potitum, sic in dies illius artibus blandaque ipsius natura captum esse furore, atque ita assuevisse se servitio, ut mirum quoddam patientiae documentum omnibus perpetuo futurum esset amatoribus. Videant praeterea isti, quaeso, ut Propertius etiam tum cum quinque post vexatissimos amoris annos in perpetuum Cynthiam repudiaret, perfidiae atque pervicaciae eius tandem pertaesus, in extrema lib. III. elegia quae simul cum antecedenti, prae ceteris amatoriis eius carminibus, παλινῳδία potest nuncupari, animo tamen invito ac *flentem se discedere* confiteatur (v. 7.)

Denique nonnihil etiam roboris adversus hanc sententiam illud afferre mihi videtur, quod in ea elegia, quam extremam scriptam hi contendunt, cum amicis suis questus esset poeta quod serius in subsidium sibi venissent: cum iam in el. 4. *Bassum, multas laudando puellas* a Cynthia Propertium avocare nitentem videamus; item alium amicum in 12.; atque etiam in 5. Cynthiam Propertio sibi surripere Gallum voluisse apertissime cuique pateat.

III. — Haec erant fere quae hactenus hac super prima libri primi elegia a doctis viris disputabantur (nam de singulis quibusdam locis controversis mox agemus), nec reliquus novis coniecturis locus videbatur futurus, cum nostris omnino diebus, his cunctis posthabitis, suam prorsus viam audacissime quidem, ni fallor, ingressus

est Rem. Sabbadinius v. cl. quadam scriptiuncula in Florentina edita ephemeride cui titulus « Atene e Roma [1] ». Is enim ex integro quaestionem repetens, veluti fundamenta iacturus hoc primum statuit: — cum librum qui vulgo fertur I. ad Tullum a Propertio per se editum satis constet, ei *Prologum* et *Epilogum* poetam adposuisse credere necesse — Ad Prologum vero quod attinet, huius partes primam elegiam, quo ad nos pervenit statu agere ullo modo posse negat, his quidem maxime: primo, quod plurimas in ea personas (universos lectores vv. 1-8., Tullum amicum vv. 9-18., sagas vv. 19-24., omnes amicos vv. 25-30., amantes universos reliquis vv. ad finem) Propertius alloquatur, quod prologo repugnet: deinde, quod versus ille (21):

« En agedum, dominae mentem convertite nostrae »

indicium sit nobis, voce *convertite,* nondum a Cynthia tunc poetam admissum fuisse, contra ac prologi ratio ferat qui ultimus scriptus sit habendus. Prologi alioqui veluti faciem prae se ferre hanc elegiam contendit Sabbadinius, sive initium spectemus quo in medias res continuo adducimur, praesertim vero cum Cynthiae nomen in fronte sit positum; sive extremos versus consideremus quibus omnes, solemnitate quadam, qui amant admonet poeta ut ex eius exemplo caveant in idem ipsius malum temere incidant. Praeterea, cum contrarias inesse sententias omnino putaret illis quae sagas orat (vv. 19-24.) et illis quae ab amicis petit (vv. 25-30.) poeta; satis haec superque sibi duxit ut, omni spe dimissa fore ut umquam ex hac elegia probabilis sensus excudatur, more chirurgorum (ut Sabbadinii utar verbis) qui insanabile secant membrum, sibi quoque hic ferro uti copia daretur. Duobus igitur hanc elegiis constitutam putavit vir doctus, inepte a librario quodam simul permixtis, prologo sive elegia ultima scripta, qui versibus a 1. ad 8. atque vv. post 24. ad finem omnibus contineretur: atque elegia prima scripta ex reliquis versibus (a 9. ad 24.), quae una ad illud tempus pertineret

(1) Atene e Roma, Firenze, Ann. II, 7. p. 26. 1899.

quo nondum Cynthiam sibi conciliasset Propertius. Quibus vero coniungendis amanuensem permotum suspicatur Sabbadinius Propertii exemplo fuisse, quem asserit simile quid ipsum fecisse in prima lib. II. elegia, cuius versus a 1. ad 16. prologum ad omnes indiscriminatim lectores, ceteri vero elegiam primam Maecenatis nomine inscriptam exhiberent.

Quae omnia ut singillatim iam perpendamus, primo quidem neminem fugisse ex lectoribus puto, summam qua Sabbadinii argumentatio vertitur, nullo prorsus inniti fundamento, quippe qui coniecturam simili alia firmare coniectura non sit veritus. Quo enim iudicio ductus sit v. cl. ut illud de prima el. secundi libri sibi suaderet, prorsus non video. Nonne igitur potius iure quodam nostro facere videbimur, si illi de qua hic agimus hanc utique elegiam, uti quidem habemus, conferamus? Nonne Propertio usitatissimum est, eodem saepius in carmine verbi personas allocutione mutare? Quod non semel interpretes transversos egisse Hertzbergius quoque testatur, quem consulat oportet, ne multi simus, quicumque omnes huiusmodi locos in unum collectos recensere velit (1). An vero, si partes in quas divisit elegiam Sabbadinius spectemus, ad prooemium quod attinet, ulla sic detracta est difficultas earum quas supra numeravimus, cum hoc idem de integra elegia ageremus? Neque suis carere difficultatibus alteram partem videbimus. Siquis enim frequens fuerit in Propertii lectione, illud praeter cetera poetae praecipuum in scribendo norit, exemplis eum abunde e fabulis uti ductis, quibus dictum a se aliquod vel factum confirmet, ita sane ut secundum non primum locum exempla semper teneant. Quod quidem, sine ulla exceptione, adeo frequenter occurrit in nostro, ut etiamsi alia deficerent argumenta, hoc unum contra Sabbadinii divisionem satis esse omnes mihi facile assensuros confidam (2). Equidem Milanionis

---

(1) Hertz., l. c. p. 115-117.

(2) Ex plurimis talibus exemplis en aliqua casu excerpta: I. 2, 15-20. I. 13, 21-24. I. 15, 15-22; II. 1, 59-64; II. 8, 29-38; II. 21, 11-14; II. 22, 25-34; II. 32, 31-40; III. 11, 9-26; etc.

Neve contra feras initia ell. I. 3, II. 6. 14., hoc inter illa atque haec interesse ani-

exemplum proximis qui praecedunt sequunturque versibus apte ita connexum quis non viderit, velut aureo gemmam inclusam anulo, unde nequeat amoveri?

Denique, postquam, ut cuique libuit, intra fines coniecturarum multum iam, nullo tamen profectu, persultatum est: relictis omnino quae a Lachmanno Sabbadinio ceterisque sunt prolata: de his tandem inter omnes convenire oportet, et optime a libris mss. huiusce elegiae litteram servatam, optimumque sensum eum esse qui, vel primo obtutu, ob oculos venit, nempe (et mecum in hoc gaudeo quod Girium (1) habeam) — elegiam primam libri I. Propertium scripsisse cum nondum Cynthiae amore potitus esset; èumque ipsam locum tenere, et ratione temporis, et quod, vel casu vel dedita poetae opera, speciem quamdam praeseferat prooemii. —

Amplius hoc quaerere neque criticorum est neque hilum proficiet: praesertim cum illud in promptu sit, Propertio in animo non fuisse, uti quidem nonnullorum fuit opinio, historiam sui amoris continuam et apte compositam exarare, quomodo, exempli gratia, Aligherii opella se habet quae inscribitur « Vita Nova »: sed potius Petrarchae more, (2) ut quoquo tempore veri amoris adfectibus, cuius quae sit levitas nescit nemo, permoveretur, tum ita singulas elegias composuisse: harum postea, ut ad idoneum numerum provexisset, reiectis forte aliquibus, uti fit, minus expolitis, reliquas, ratione tantum temporis

---

madvertas velim. Aliud illa non esse quam *exempla*, quae ipse poeta nuncupatur (cf. II. 6, 19.), omni ferme poetico ornatu carentia, ad aliquod firmandum vel factum, ut diximus, vel dictum a poeta prolata. Illas autem *similitudines* esse, vivissimis coloribus ita descriptas, itemque simul coacervatas ut, qua concitatione animi poeta tum esset, ita lectorum animos apte ad ea disponeret, quibus ad canendum ipse esset permotus.

Quae si *L. Mullerus* animadvertisset, non postposuisset distichon 7-8. (el. 8. lib. II.) dist. 9-10: neque *Birtius*, ex eadem el., vv. 29-40, velut integrum carmen, avulsisset: item, neque *Hertzbergius* in duas divisisset el. 1. lib. III. inde a v. 41: neque variis ex particulis ineptum illud carmen confecisset *Heimreichius*, de quo in II. Quaestione erit propositum.

(1) G. Giri, l. c.

(2) Cf: Petr. In m. di M. L. Son. XXV. 9-11.

qua quaeque scripta fuisset servata, in libros redactas emisisse. Quae si firma retineamus, omnes quas Transalpini interpretes precipue offenderunt difficultates ad nilum paene rediguntur. Illinc enim fit ut, si ad obrussam exigamus, nonnulla in opere Propertii inveniamus quae inter se pugnantia videantur; elegias autem priorum trium librorum, in quibus de Cynthia agitur, velut in partes distribuere possimus, plus minusve carminum, vel unum interdum, comprehendentes, plus minusve temporis intervallo inter se distantes; equidem, iterum iuvat dicere, prout occasio tulisset, aut plus minusve carminum occasione data composuisset, aut compositorum in libros admisisset poeta.

Verum is ego non sum qui negem, hac quoque ratione habita, locos in Propertio esse quibus iure haereant interpretes, et quidem multos: illud tamen totis viribus (atque utinam id possem maiori cum auctoritate!) contendo, maximum difficultatum numerum, totque contentiones (sicut abunde haec quam nuper absolvimus nos docuit, atque luculentius quae sequitur docebit) tot claros viros vitaturos fuisse, modo ut curiosius Propertii stilum considerassent, qui, si quisquam umquam, proprio utitur sermone, suamque insistit viam.

B

Praeter quaestiones quae de universa elegia tres, uti vidimus, praecipuae feruntur, aliae quoque sunt praesto non minoris re quidem vera quam illae fuerint momenti (ex his enim causae plerumque sumptae cur illae orirentur) de quibusdam singulis in ipsa locis, quos tamen ex parte accidit iam ut obiter tractaremus, id est de versu:

« Et iam furor hic toto non deficit anno »

et de versu:

« Sitis et in tuto semper amore pares »

de quibus consilium hic plura non est dicere.

Coniecturis hic quoque quantum sit laboratum videbimus, cum studere potius oporteret impensius: etenim quamquam singulis e vocibus perspicuum quid expromere non usque licet, omnia tamen de quibus fit quaestio, ut nobis libris mss. sunt servata, propertiana esse adfirmàre omnino non dubito. Sicubi vero, ut diximus, sententiam apertissime patere non constet, potius quam ad verborum mutationes, plenum aleae opus!, confugiamus, illud omnibus inculcatum maxime velim eum profecto Propertium esse, uti ex. g. nostris quidem temporibus Fusculus in « Sepulcris », qui alacritate et acumine mentis animique celeritate lectoris prae ceteris egeat, adeo sane ut divinatione magis atque interiore quadam animorum coniunctione quam ipso saepius verborum tramite quae voluit poeta percipiamus oporteat. Ad haec, Propertium ingenii sublimitate adfectuumque motibus ad lyricum genus magis quam ad elegiacum natura fuisse comparatum necesse est animum advertamus, atque eum Pyndari vestigiis plus quam poetam elegiacum deceret institisse: ita ut et inusitatis verborum significationibus, et quod nexus plerumque sententiarum desideretur, difficilis nonnumquam intellectu fiat, ni enixe ad eum attendamus: quae quidem causae praecipuae sunt habendae omnium fere inter interpretes dissensionum, et omnium quae docti transalpini, iam inde a Lachmanno, ut I. Scaligerum (1) transeam, per saeculi cursum in Propertii libris commenti sunt. His praemissis ad rem pergamus.

Praecipuus horum locorum is est, qui vv. 19-29 continetur, quo contrarias, quae sagas quaeque amicos Propertius orat, sententias male cohaerere, praesertim particula *et*, inter se Sabbadinium putasse iam exposuimus, ac propterea dirimendas statuisse, et vocem exclamantis *ei* pro coniunctione ponendam. Qua correctione, ut Sabbadinium absolvamus, inepta (sit gratia verbo) adeo locutio *ei vos* vocantis extare mihi videtur, tamque a communi, nedum Propertii, usu remota, ut, vel ob hoc, Sabbadinii coniecturam de qua fusius ante tractavimus, pro nihilo facere plane censeam.

(1) Catulli, Tibulli, Propertii Nova editio. Josephus Scaliger, Jul. Caesaris F. recensuit. Lutetiae 1577.

Plurimi autem fuere, Hemsterhusio principe, qui ad alium Propertii locum respicientes (III. 24, 9-10.):

> « Quod mihi non patrii poterant avertere *amici*,
> Eluere *aut* vasto Thessala *saga* mari, »

quo similiter de magis amicisque suis poeta cum ageret, duas propositiones particula *aut* coniunxit, hanc ideo pro *et*, quam libri exhibent mss. omnes, restituendam hoc loco putarunt. Quod, credo, minime fecissent, si sententias non verba tantum reputassent. Facile enim sibi quisque persuadebit, vocem *aut* posteriori loco vim disiunctivam non habere, sed prout *neque* positam ut in propositionibus negantibus, cui quidem *et* respondeat si negatio tollatur: adeo igitur ut posteriorem hunc locum contra atque ratus est Hemsterhusius, ad lectionem manuscriptorum prioris loci confirmandam potius proferre possimus.

Id iam et Girius animadverterat. Sed Girius adprobari non videtur in interpretatione v. *fallacia* (v. 19.), cui communem *doli fraudis* similium sententiam attribuit, interpretatione puto ductus quam, ut infra videbimus, totius huius loci defendit. Nos, reiectis omnino quae hic somniaverunt complures, nempe *pellacia, fiducia, audacia, sollertia, fallaciae* loco posita, ad ipsum Propertium provocamus, a quo, uti saepissime, aliorum locorum collatione, rectam interpretationem in praesentia quoque docebimur. Nam in eo versu (135.) el. 1. lib. IV:

> « At tu finge elegos *fallax* opus etc., »

quomodo locutionem *fallax opus* interpretabimur nisi *aptum fallendis* seu *decipiendis puellis?* Qui sensus in sequenti v. (III. 3, 49.) clarius adparebit:

> « Ut per te clausas sciat *excantare* puellas. »

Quibus si tertium quoque locum adpingamus (IV. 5, 13-15.), ubi de lena quadam poeta loquitur his quidem verbis:

> « Audax *cantatae* leges imponere lunae »
> Et sua nocturno *fallere* terga lupo,
> Posset ut intentos astu caecare maritos . . . »

satis nobis esse videtur, ut *fallaciam* in el. 1. lib. I. eandem habere vim statuamus ac *fallax opus,* sive *opus* vel *ars fallendi,* rectum nempe, naturae hominumque leges fallendi, quae sunt v. gr. (ut ipsius Propertii exemplis insistam), lunam deducere, lupi sumere figuram, intentos astu caecare maritos, aliaque id genus. Quapropter versum:

« At vos, deductae quibus est *fallacia* lunae »

ita interpretandum censeo: — At vos, sagae, quibus *fallax opus,* sive *ars fallax* est lunae deducendae — *(deductae* scripsit poeta, adhibito, poetarum more, praeterito pro praesente): aut etiam — quarum *fallere est* sive *excantare* lunam deducendo — nam *fallere* et *excantare* promiscue eadem uti vi Propertium plane supra docuimus. Girii autem haec est interpretatio: — vos, ariolae, quae vestrum auxilium rogantes decipitis, lunam adfirmando deducere posse, aut alias antea deduxisse —: quam etsi omnino non refellimus, namque illud esse propertiani pressi sermonis quis dixerit, plura tamen esse mox videbimus cur nostram quam Girii malimus interpretationem. Praeterquamquod quis non viderit, in versu insequenti:

« Et labor in magicis sacra piare focis »

coniunctione *et* cum antecedenti connexo, v. *labor* verbo *fallacia* ita respondere ut, ad vim quoque eorum quod attinet, quamdam inter ea adfinitatem intercedere credamus? Quo quidem Girii vetamur interpretandi ratione.

Iis quae de vocibus *et* ac *fallacia,* de quibus maxime erat hoc loco quaestio, iam absolutis, iter nunc faciamus ad interpretationem totius loci. Ante Girium fere omnes, res utique inter se contrarias hic Propertium sagas et amicos adloquendo rogasse sibi persuaserant, praesertim postquam, Hemsterhusio auctore, uti diximus, alio cum hoc loco male collato, *aut* pro *et* in v. 25. subrogandum iure duxerunt. Sabbadinium vidimus quomodo quem et is putabat nodum incidere sit aggressus. At Girio aliam visum quaerere viam: qui minime ea inter se pugnare contendit, quippe quod Propertius, nedum

auxilia a veneficis petiisset, nequaquam fidem iis adiungere ibi declarasset: hoc scilicet poetam sibi velle duplici ea allocutione, quam ita Girius explanat: — Tantum absum ut Cynthiae amore potiturum umquam sperem, ut si id mihi contingat, fidem vel veneficis sim habiturus, quibus in praesentia minime habeo. Interim vestrum est, amici, auxilium amico insano ferre etc. — Neve autem, difficultate hinc dempta, alia extare videretur, siquis huic loco eum comparasset quem Hemsterhusium in medium diximus attulisse ut *et* cum *aut* mutaret, quo loco sagas et amicos *parem* sibi opem adlaturos fuisse itidem poeta exponit, ergo cavillatur (ut proprie dicam) Girius, velut si Propertius rem *generatim* posteriori loco adfirmasset, verum priori *proprium subdens iudicium.* At vero quot vitiis huiuscemodi laboret interpretatio videamus. Et primo omnium, verbo *fallacia* quam Girius hoc loco attribuit vim, qua quidem plurimum cetera nititur interpretatio, valde in dubium vocasse confidimus. Duorum deinde locorum quos inter se contulimus similitudo, quam absolutissimam debere esse infra docebimus, nullo sententiarum discrimine iubet nos eos accipere. Tum si ceteros Propertii locos adeamus, quibus veneficarum fit mentio, nonne potius contrarium quid reperiemur atque de Propertio (nempe, utrum sagis is confideret necne) Girius putarit? Quorum unum huc adducere sufficiat (II. 4, 15-16.):

« Nam cui non ego sum fallaci praemia vati?
Quae mea non decies somnia versat anus? »

Postremo particulae *et,* a qua in amicos allocutio initur, nequaquam, hoc saltem loco, vim adverbii *interim* tribui posse contendo.

Sed iam est tempus, alienis expositis sententiis, nostras quoque vires et in hoc experiri. Atque illud quidem, ante omnia, minime ego mirarer si revera in sagas itemque in amicos allocutiones inter se repugnarent, cum id omnino decere mihi videatur eum qui tandiu amore infelici sit exagitatus, ut *nullo vivat consilio,* alterutrum vehementer expetere; a sagis, si valeant, ut vi, quae sponte noluerit, sibi concilient; ab amicis, ut amore quem prosperum iamnunc sibi successurum desperet, in libertatem eximant. Neque minus apte si,

ut dixi, hunc locum interpretemur, particula *et* allocutiones esse coniunctas necesse est fateamur, quam bene vertemus ut *autem* vel *praeterea,* vel potius ut *etiam*, eam ad sequentem praecipue versum referentes; cum quidem diversae duarum allocutionum sententiae in hoc tamen conveniant, quod a sagis non secus atque ab amicis *auxilium insani pectoris* petat poeta.

Sed mirum profecto videbitur, omnia nondum in hac quaestione viros doctos perscrutatos vel ita explevisse, ut vel mihi aliquid inveniendum reliqui fuerit. Qui, ut obiter iam attigi, nonnihil ad hunc locum declarandum alium locum el. 24. lib. III. conferre reputo: singula enim singulis utroque loco ita respondent, ut cum insuper in extremis, ut ita dixerim, amoris oris eos reperiamus, Propertium, cum ultimum scriberet, ad primum respexisse mihi facile suadeam.

Sunt autem loci hi (I. 1, 19. seqq.):

I
At vos, *deductae quibus est fallacia lunae*...
Et vos, qui sero lapsum revocatis, *amici,*
Quaerite non sani pectoris *auxilia.*
Fortiter et *ferrum,* saevos patiemur et *ignes*...
Ferte per extremas gentes et ferte per *undas*...

(III. 24, 9. seqq.):

II
Quod mihi non patrii poterant avertere *amici,*
Eluere aut vasto *Thessala saga* mari:
Haec ego non *ferro* non *igne* coactus, et ipsa
Naufragus *Aegaea* vera fatebor *aqua.*

Haec si recte inter se contulimus, (neque de hoc dubitaturum confido quicumque Propertii in componendo morem norit), id continuo fiet, amatorem sagarum opem, in 1. el. lib. I., nequaquam petiisse, sed contra potius rem se habere. Quod quidem si absurdum primo aspectu quis dixerit, nonnulla nobis in promptu sunt quae ad nostram sententiam tuendam proferre possimus. Quomodo enim credendum Propertium, si adiuturas se fuisse sagas speraret, eo furoris ac desperationis adduci maluisse, idque per anni ferme spatium perferre? Quid? Num toto opere quod est de Cynthiae amore, in tam

crebris puellae infidelitatibus, umquamne ob aliud ad magicas artes confugisse fatetur Propertius, nisi ut quid sibi ipsius vellent insomnia calleret (II. 4, 15-16.), aut aegrotae puellae consuleret valetudini (II. 28, 35-38.), aut amore infelici resolveretur? (II. 4, 7-8.) Nonne praeterea, si tenorem sermonis spectemus, iam inde ab allocutione in sagas, praecedenti parti contrariam carminis inesse sententiam censebimus propter particulam *at* ab initio allocutionis, item ob verba *en agedum* qui tamquam index est novi a poeta subito consilii capti? Sed omnium in meam sententiam praecipuum argumentum versum, ni fallor, illum teneo:

« Et facite illa meo palleat ore magis, »

quo, uti aperte is est acrimoniae plenus, quid aliud expressit poeta, quam vehemens in puellam ulciscendi se desiderium, ut eadem quae ipse pertulisset illi essent perferenda? Neque enim *pallor* Cynthiae contigisset [1] si Propertius praesto amator exinde in posterum ei fuisset: neque poetam huiusmodi puto usurum fuisse verbis, si puellam amatoriis philtris sibi comparare voluisset, uti plurimi interpretantur; aut etiam sagas velut lacessere quatenus possent, uti quidem Girii fuit sententia. Adde quod Propertius, si animo proclivi esset in Cynthiam cum hanc scriberet elegiam, aequum profecto fuit ad eam in fine rediisse, praesertim cum multa in suis libellis talia proferat exempla poeta. [2] Illud praeterea transeundum non est, rite apud poetas elegiacos viros non feminas magicis ministeriis affici solere, in quos praecipuum sagarum officium saepe occurrit *thessalis* (ut Horatii utar verbis) *solvere venenis:* neque tam verum legitimumque his artibus amorem petitum esse, quam vel caecitatem amatorum ne cuiusdam libidinosae anus turpitudinem fastidirent, vel ut in furorem, ultionis causa, ipsi verterentur.

His omnibus igitur statutis, iure quodam meo uti videor cum « PRIMUM CYNTHIÆ VALE A PROP. DICTUM » hanc elegiam inscribere

---

(1) Cf. III. 8, 28.
(2) Cf. I. 12, 19-20; II. 6, 41-42; II. 9, 41-52; II. 17, 17-18; II. 24, 51-52; etc.

velim: qua quidem Poeta, satis superque saevitiam puellae pertulisse ducens, atque amoris ditione eximere se gestiens, cum in ea nil aliud profecisset nisi ut *nullo viveret consilio,* et *castas,* hoc est *asperas, odisse didicisset puellas,* Cynthia tandem discessurus, sagas alloquitur, quae poenas ab illa reposcant simili ac suus fuisset, atque etiam vehementiori, exagitantes furore; amicos vero, ut, ad propositum perficiendum, in subsidium veniant, neque ullam praetereant opem cum ipse paratissimo animo sit omnia sustinere, vel etiam adire extremas gentes *qua nulla eius iter femina noscere possit.* In quam rem optime cadit locus ille Petrarchae (In vita di M. L. son. LXV, v. 1-4.):

« Io son dell'aspettar omai *sì vinto*
E della lunga guerra de' sospiri,
Ch'*i' aggio in odio* la speme e i desiri
Ed ogni laccio onde 'l mio cor è avvinto. »

Neque attentum lectorem fugerit ita lucem ali etiam vexatissimo loco eiusdem carminis admotam esse, nempe v. (5.):

« Donec me docuit *castas* odisse puellas, »

ex quo nondum probabilem sensum elicuerant viri docti, quippe quod id plane assequi nequirent qui Propertium Cynthiae amorem quoquo modo captaturum hanc elegiam scripsisse tenerent. Quas enim hac interpretatione putandum fuit *castas* appellatas puellas a Propertio esse? — *Castae* ergo sunt hoc loco puellae quae molliri amatorum blanditiis minime se patiuntur —; atque de universis cum loquatur poeta, ad Cynthiam praecipue spectare facile colligitur, quam cogitatione secum opponit Lycinnae aliisque vagis vulgaribusque puellis, quibus deceptis, antequam oculis Cynthiae captus in primum verum amorem incideret, *constantes fastus* ducere soleret.

Denique, ne longius immoremur in hac tractatione, quamquam plura nobis his dicere sunt, sicui mirum videbitur Propertium, qui per totum quinque annorum spatium ita se sub iura morosissimae

puellae addictum, ut qui vel maxime, praebeat, adeo hic animos sumpsisse ut amatoriis se retibus extricare ab initio conaretur; liceat nobis quae de hac re alicubi idem habet proferre (II. 3, 47-50.):

« Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
Post venit assueto mollis ad arva iugo,
Sic primo iuvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post haec aequa et iniqua ferunt. »

QUAESTIO II.

Utrum in IV an in V libros sua carmina distribuerit Propertius

Ad quaestionem multo maiorem devenimus, quam tamen praecedenti exploratius, nisi quid me fefellit, nos diiudicaturos spero. Omnes in hoc consentiunt veteres mss., quattuor exhibentes libros, quorum fidem saeculis anteactis in dubium verterat nemo (nam in suis audacissimis traiectionibus I. Scaliger traditum librorum numerum servavit), donec, ineunte hac aetate, Carolo Lachmanno (1) est visum *in duos librum II. esse dirimendum,* tribus his potissimum rationibus permoto:

I. Quod apud aliquot veterum scriptorum carminum fiat mentio, quae in traditis Prop. libris non reperiantur: praeterea quod initium lib. II. carminum deperditorum nonnulla praeseferat vestigia.

II. Quod elegia quae in l. II est 10. speciem habeat velut prologi integri cuiusdam libri Augusto dicati.

III. Quod versibus (II. 13, 25-26.):

> « Sat mea, sat magna est, si tres sint pompa libelli,
> Quos ego Persephonae maxima dona feram, »

locus potius in III. lib. esse deberet. —

Infiniti fuerit operis omnia fuse ac singillatim in medium proferre, quae tot post Lachmannum interpretes coniecerunt, ut istam vel

---

(1) C. Lachmann, l. c. p. 20 seqq.

probarent [1] vel refellerent [2] sententiam; Birtius prae ceteris, qui eodem quo Lachmannus, sed alio prorsus itinere pervenit. Hoc in universum satis sit animadvertere, Transalpinos VV. DD., (qui soli fere, nostro quidem saeculo, laboriosas in Prop. suas curas contulerunt,) veluti rem suam nactos, quidvis in Propertio sibi licitum putavisse, atque circumiisse difficultates potius quam ex adverso adorerentur: quo id accidit ut novi nihil sit, quod hi non defenderint; neque tamen ad ullam certam finem quaestionem perduxerint, immo etiam atque etiam pertubarint atque intricatiorem in dies reddiderint. Verum unus tandem ex illis exstitit, extremis hisce temporibus, Doct. dico Henr. Fleischmannum, [3] qui haec eadem cum animadvertisset, ad fontes, nempe ad Lachmannianas argumentationes, recta redire rursum sibi sumpsit: his autem, duobus libellis, perpensis, item quae ceterorum praecipui, Birtius prae omnibus, protulissent; hoc demum concludendum sibi visum, — nihil omnino valere quae inde a Lachmanno contra lib. mss. fidem lata essent; atque nonnullae cum occurrerent in Propertio difficultates, has equidem auctum iri vixdum a vetere lectione recessissemus. — Verum, si plurimum eo Fleischmannus est laudandus, quod primus subducere se omnino ausus sit auctoritati Alcidae illius litterarum, rectoque iudicio quaestionem sit aggressus, haec tamen ab eo absoluta minime dici potest, utpote qui leviter persaepe rem attigerit, aut etiam in interpretando fallatur,

---

(1) L. MÜLLER, « Prop. El., » Praef. p. 11-13. — HERM. KNAUTH, « Quaest. Prop. » Halle, 1878., p. 25., p. 30. in nota et passim — ROB. SCHARF. « Quaest. Prop. » Halle, 1881., p. 7. in nota. — W. S. TEUFFEL « Gesch. der Röm. Liter., § 246., n. 3.; p. 515. 4. edit. — M. CRANSTONN. « The elegies of Prop. transl. into engl. verse. Edimb. et Lond. 1875. p. 20. — BIRT, « Das antike Buchwesen, » Berolin, 1882., p. 413-26: et in « Mus. Rhen. » vol. XXXVIII. p. 197-221.

(2) BÆHR, « Gesch. der Röm. Liter., » t. I. §. 200 p. 775. 4. edit. — NICOLAI, « Gesch. der Röm. Lit. » § 84. p. 254. — BERNHARDY, « Grundr. der Röm. Liter. » § 96., n, 462., p. 623. 5. edit. — C. F. A. NOBBE, « Obs. in Prop. Carm. Spec., » Lipsiae, 1818 — PALDAM, « Prop. Carm. » Praef. p. 22 seqq. — HERTZBERG, « Prop. El. » t. I., Quaest. p. 211. seqq. — R. Voigt, « De quarto Prop. lib., Helsinfor., 1872. p. 3-17. — BÆHRENS, « Prop. El. » Proleg. p. 40. seqq. — CAR. BRANDT, « Quaest. Prop. » Berol., 1880 p. 20-25.

(3) HENR. FLEISCHMANN, Quaest. Prop., I. Bielitz 1895., II. Biel. 1896.

neque demum quod voluit sit assecutus. Quare optimum factu rati sumus (studio potius auctoris ducti, quam nostris viribus confidentes) nos denuo tractandam quaestionem suscipere, ita vero ut vix aut ne vix quidem in plurimorum nugis, (quae aliud plerumque dici nequeunt) uti occasio ferat, immorati, Lachmanni potissimum argumenta ordine recenseamus, ducem Fleischmannum secuti.

I. DE PRIMAE LACHMANNI ARGUMENTATIONIS PARTE PRIORE: SEU DE INTEGRITATE CARM. PROPERTIANORUM. —

Trium auctorum Lachmannus profert testimonia ut probet plurima Prop. carmina iniuria temporis intercidisse.

Primum est *Fulgentii,* qui in opella *de antiquis sermonibus,* sub v. *dividia,* hunc versum Propertio adscribit:

« Dividias mentis conficit omnis amor,

quem carminum traditorum habet nullum. At Fulgentio minime fidem habendam, nisi aliqua alia exstet auctoritas, iam fuit demonstratum; cum praesertim ab eodem, sub v. *catillare*, Propertii nomine hic v. citetur:

« Catillata geris vadimonia pubblicum prostibulum. » (1)

Alterum est *Servii,* a quo ad Verg. Buc. V. 21., ut Propertii, pars haec versus profertur: « Testes sunt sidera nobis: » praeterea, ad Georg. I. 19. de aratri inventore loquens, haec habet:

---

(1) « Animo [Fulgentius] fuit levi.... neque vanae gloriae cupiditate vacabat; qua commotus, ut speciem summae scientiae et doctrinae abundantis praeberet, quae aliunde hauserat, auctoribus non inspectis neque examinatis quam celerrime composuit, cum id unum ageret ut admirarentur homines quanta adulescens admodum conscripsisset.... Hac levitate et temeritate factum est ut gravissimos in errores incideret;.... scriptores et opera alia cum aliis confudit. »

Fabii Planciadis Fulgentii V. C. opera etc, rec. Rudolfus Helm: Lipsiae, MDCCCXCVIII: Praef. p. IV. — Cf. etiam p. V: « Neque dicta etc, » usque ad « oriunda esse censerem. »

Ceterum iam ex antiquis fuit qui utroque quem supra memoravimus loco *Petronium* in marg. correxerit. Cf. op. cit. Praef. XIV, et pp. 118, 121.

— Alii Triptolemum, alii Osirin volunt, quod magis verum est, ut dixit Propertius vel Tibullus. — Quibus postremis Servii verbis plane evincitur memoriter eum ad aliorum scriptorum fidem se revocasse, ita ut neminem, praeter Lachmannum, dubitaturum puto quin priora illa verba ad hunc Propertii versum referenda sint (II. 9, 41.):

« *Sidera sunt testes* et matutina pruina: »

posteriora autem de Tibullo dicenda esse satis monet huius versus (I. 7, 29.):

« *Primus aratra* manu sollerti fecit *Osiris.* »

Tertium ex *Ovidio* testimonium est ductum. Is enim, in Trist. II. 363 seqq., cum se purgandi gratia apud eos a quibus, quod nimium procaci Musae indulsisset, incusaretur, omnes qualiscumque generis scriptores Graecos item Romanosque recenseat, ut illud quidem demonstret ex omnibus malorum illecebras haurire posse qui velint; praecipuis Romanorum scriptoribus ordine nominatis, postquam plurimum est immoratus in enumerandis quae in Tibullo *furtivi amoris praecepta* inveniantur, postremo ita concludit (465-6.):

« Invenies *eadem* blandi *praecepta* Properti,
Destrictus minima nec tamen ille nota est. »

Cum autem in Propertio eadem ac Tibulliana quae enumerat Ovidius praecepta non reperiantur, ideo collegit Lachmannus complura illius periisse carmina, in quibus talia inessent praecepta amatoria. — Quid igitur? Nonne omnia Propertii volumina, in quae iis abuti velit mulier nupta, talia continere praecepta dicamus? — Sic obiecerat iam Hertzbergius, (1) cui plurimi postea sunt assensi: ex iis Fleischmannus, qui vero novum quid velut prolaturus, non eadem omnino esse Tibulli atque Propertii carmina Ovidium significasse contendit, propter verba *invenies* et *blandi:* quorum illud, si aures viro docto praebeamus, rariora

(1) Hertzb. l. c. p. 212.

Propertii quam Tibulli praecepta esse indicaret, quippe quae ut in Propertio inveniantur, quadam sine industria id fieri nequeat. *Blandum* praeterea Propertium vocasset Ovidius, puriorem Tibullo intellegens, nempe quod rariora et foeda minus illius essent praecepta amatoria. (1) Quae quidem a vera quantum abhorreant ratione, ut missa faciamus quae de v. *invenies* cavillatus est Fleischmannus, ad v. *blandi* quod attinet, fere quis dixerit, neque immerito, eum praeter hunc locum nil amplius inspexisse amatorii carminis scriptorum, in quibus illud, simul cum v. *blanditiae,* saepissime occurrit ut proprium amoris atque ad res amatorias significandas aptissimum; adeo sane ut cum *Venere* absolute positum nec non cum *meretrice* ab eodem Ovidio videamus. (2) Quod autem pluris interest, cum de Propertio agatur, si alios et Ovidii et ipsius Propertii nonnullos cum hoc locos (3) contulisset Fleischmannus, et certam puto vocis sententiam novisset, atque Ovidium iudicasset ab ipso Propertio illam probabiliter esse mutuatum: siquidem tenerum cupidum hominem prae ceteris voluptarium, adfectibus ardentem in suis carminibus constanter hic se praebeat, seque *blandum* ob hoc *blandique oris* amatorem ipse vocet; quae quidem proprietas inter omnes amatorios Romanorum poetas, vel si Catullo comparetur, praecipuum Asisiensem reddit.

At unum Lachmannum ceterosque omnes fugisse mihi videtur, quod maximi fuit momenti, ni fallor, hac utique in re explananda: non ideo Propertii Tibullique praecepta eadem prorsus esse intellegendum quod Tibullum, Ovidii loco citato, proxime excipiat Propertius; hoc enim ratione tantum temporis factum iam memoravimus: neque hilum obstare quominus ea de Propertio separatim dicta habeamus, atque ad omnes, qui prius sunt nominati, Graecos aeque ac Latinos scriptores, item ipsum ad Ovidium, potius quam ad solum Tibullum referamus. « *Eadem videbis* » concludit Ovidius

---

(1) Fleischm., l. c. p. 12-13, I.
(2) *Blanda Ven.*, Ov. Am. III. 2, 55 — *Blanda meretrix,* Ib. I. 15, 18.
(3) Cf. Ov. Trist. V. 1, 15-15. — Prop. I. 8, 40, II. 3, 16. — Ov. Ars. Am. III. 333.

« *praecepta esse Propertii,* » nempe eiusdem generis quae habent hi quos hactenus in medium attulimus: ut, puta, Anacreon, qui cum nihil aliud *praecipiat* nisi cum multo *Venerem confundere vino* (Tr. II. 363-64.), ita et Propertius cecinit (II. 15, 37 seqq.):

Quod mihi si secum tales concedere noctes
  Illa velit, vitae longus et annus erit:
Si dabit haec multas, fiam immortalis in illis.
  Nocte una quivis vel deus esse potest.
Qualem si cuncti cuperent decurrere vitam
  Et pressi multo membra iacere mero,
Non ferrum crudele neque esset etc. (1)

Optimo praeterea iudicio Fleischmannus facere mihi videtur, cum putet ibi se forte ad certam praecipue Propertii elegiam Ovidium rettulisse, ad 5. scilicet lib. IV., in qua puellam docens lena inducitur, cum huic plane similis sit elegia 8. lib. I. Am. Ovidii: at vereor ut quantum debuit sua ipse usus sit argumentatione. Ad hanc enim firmandam, opportune illi fuit notandum, etiam ea quae ab Ovidio, loco memorato, furtivi amoris praecepta Tibullo tribuuntur, ex *una* tantum el. Tibulli omnia exscripta esse (I. 6.): neque contra facere quod Propertius diris lenam devovet, cum ideo hoc agat quod suis praeceptis eius votis illa obstitisset, similique modo in sua elegia adversus lenam imprecetur Ovidius (vv. 110. seqq.): praesertim vero cum excusare soleant se poetae huiusmodi praecepta scripsisse sive Amore seu Venere sive Apolline seu quovis alio Deo ipso praecipiente.

Denique de Birtio (2) quid dicendum, qui duobus his tantum ex indiciis (II. 3, 45-6. II. 4, 17. seqq.):

I { « His saltem ut *tenear iam finibus!* ah mihi, si quis,
  Acrius ut moriar venerit alter amor! »

---

(1) Cf. II. 34, 55-60. III. 5, 21-23.
(2) Rh. Mus. XXXVIII. p. 213. seqq.

II « Hostis siquis erit nobis, amet ille puellas:
Gaudeat in puero si quis amicus erit:
Tranquillo tuta descendis flumine cymba:
Quid tibi tam parvi litoris unda nocet?
Alter saepe uno mutat praecordia verbo,
Altera vix ipso sanguine mollis erit. »

statuit olim Propertium, *Cynthia relicta, turpi puerorum amori* totum aliquandiu deditum fuisse, qua de re obscenissima carmina cum scripsisset, haec scilicet Ovidium, in II. Tristium, maxime spectasse a quodam librario postea, verecundiae gratia, praeter unum, subtracta? Sic, quoniam res admonet, Sabbadinium memini, in eadem quam ante excussimus scriptiuncula, nonnulla pro certo habere intercidisse carmina Prop., quod, cum Propertius de Cynthia scripsisset (III. 24, 7.):

« Et color est *totiens roseo* collatus *Eoo,* »

nusquam tamen alibi locutio illa recurrat!

II. DE PRIMAE LACHMANNI ARGUMENTATIONIS PARTE POSTERIORI: SEU DE PERTURBATO LIB. II. STATU. —

Lachmannianam Propertii editionem si quis in manum sumpserit, illud ei continuo ob oculos veniet, elegias quae in libb. mss. vulgatisque editionibus inter 6. et 13. lib. II. concluduntur ita in partes esse discerptas, ut campum sane post proelium, confectis vulneratisque corporibus membrisque recisis undique sparsum, ei conspicere videatur. Conicere licet ad hoc Lachmannum permotum fuisse ut confirmaret in duos lib. II., a 10. inde elegia esse dirimendum. Itaque aliis probare studuit, ita corruptum codicem archetypum ad nos evasisse ut, cum omnes post 9. lib. II. elegiae aetatem non tulissent, aut ipsarum reliquiae tantum exstarent, ex iis libroque tertio unus liber a librario imperito esset factus; cuius rei indicium quidem esse el. 10., quod nihil aliud quam cuiusdam libri prooemium esse posset, atque eas quas inter se male secum cohaerentes nuper diximus, de quibus sermonem iam iam

sumus habituri, nam de el. 10. separatim agemus cum de altera Lachmanni argumentatione erit propositum.

El. 6. —

Signum lacunae posuit Lachmannus post v. 24., item post v. 34. — Verum, quam apte harum partium aliam alia sensu excipiat, si minus verborum iuncturis, ut moris esse Propertii supra memoravimus, cuivis facile patere certus sum hanc el. mente non praeiudicata legenti. Etenim postquam Paenelopen et quaecumque maritis fidem servent mulieres commendavit poeta, quaerit cur Pudicitiae templa exstructa sint cum quodvis nuptae nefas licitum sibi putent; cuius vero nequitiae morem mox ducit culpandum domesticos parietes tunc temporis obscenis tabulis pictis ornandi; hinc scilicet effectum ut aranea fanum velarit, idest pudicitiam puellae non amplius colant. At plurimum est disputatum de v. (35.);

« Sed non inmerito velavit aranea fanum, »

quem, eo praesertim loco, ut omni probabili sensu destitutum damnavit Lachmannus: cui sententiae prorsus accedit *Keilius.* [1] *Burmannus,* [2] pro *non inmerito, nunc emeritum* legendum putarat, totumque hoc distichon post v. 26. traiciendum. *Brandtio* [3] duplici puncto locutionem *sed non inmerito* a cetera sententia distinguendam est persuasum, subaudienti: deflemus tam corruptos mores, aliave id genus. *Birtius* [4] *non inmerito* pro *certe* dictum contendit, itaque totum versum est interpretatus: sed certe vel dirutum templum iam est. *Hertzbergius* vero *non inmerito* cum *nunc inmerito* mutavit, cui assentitur *Fleischmannus:* [5] hi enim duo VV. DD. hunc hexametrum praecedenti opponunt (v. 33.):

« Non istis *olim* variabant tecta figuris; »

(1) Henr. Keil, observat. crit. diss. Bonn. 1843.
(2) Burmann-Santen « Prop. Ell. » 1780.
(3) Cf. nostr. n. 2. p. 314.
(4) Cf. nostr. n. 1. p. 314.
(5) Cf. I. p. 15-16.

ita sane ut huius v. *nunc* illius v. *olim* respondeat. Quam coniecturam ut magis magisque roboraret Fleischmannus, longius, more suo, partium congruentiam extendit, adeo ut tractus elegiae qui versibus 23-36 continetur totum quid sex partibus conexum efficeret, quarum prima (23-24) esset *laudatio;* secunda (25-26) *quaestio;* tertia (27-30) *incusatio;* quarta (31-32) *detestatio;* quinta (33-34) *iterum laudatio;* denique sexta (35-36) *iterum quaestio:* quae vero temporis ratio inter duas primas partes intercedat, *transacti* nempe et *praesentis*, eadem sane inter duas postremas intercederet. Nobis vero in artificiosa hac partium dispositione quam voluit Fleischmannus nihil immorantibus, satis unum sit adversus hanc sententiam animadvertere, numquam merito aut desertam aut deseri aut desertum iri pudicitiam a puellis: quod utique contra immutatam ab Hertzbergio codicum lectionem plane facere puto. Quam vero si tueamur, quid obstat ne vv. 35-36 tamquam conclusionem accipiamus totius sermonis inde a v. 25., qua « iure ergo, inquit, mulieres id temporis pudicitiam amiserunt »: cum *non inmerito* idem sit atque *merito*, ea quidem vi, uti alias ab ipso poeta usurpatam videmus? (1) Ad particulam vero *sed* quod attinet, non tantum aversandi, quantum concludendi aut etiam adfirmandi hoc loco vim habere dicendum, cum hoc alienum a Propertii stilo non esse alia probent exempla (2), idque praesertim tenere interpretes oporteat Propertii, in particularum maxime usu minime communibus eum se legibus adstrictum praebere. — Postremo, antequam de hac el. loquentes finem faciamus, operis pretium sane mihi videtur, cum de editione Propertii per scholas vulgatissima agatur, memorasse L. Müllerum quattuor hic coniecisse lacunas, scilicet post vv. 26, 34, 36, 40: quae quidem (hoc pace dicam viri doctissimi) nulli, mea sententia, concedi possunt, nisi propertianae lectionis insueto, aut praeiudicata prorsus opinione occupato.

---

(1) Cf. Prop. I. 17, 1. II. 12, 9. — Ov. Am. III. 12, 9. Metam IX. 585.
(2) Cf. II. 12, 14.

El. 7. —

Aliqua deperdita carmina in hac voluit Lachmannus post v. 12: quo tamen iure viderit lector. Gavisus enim Propertius est sublatam ab Augusto legem *de maritandis ordinibus (legem maritam* dixit Horatius), qua, duobus circiter ante annis edicta, paene uxorem ducere poetam coëgit; quod is nullo pacto facere noluerat, ne a Cynthiae amore sibi esset discedendum. Cur enim, pergit poeta, uxorem ducam milites procreaturus Caesaris exercitui? Haec enim origo Augusteae fuit legis. — Ceterum, iam aliquot veterum librorum, ex his optimus Neapolitanus, ita divisam hanc elegiam praebent.

El. 8. —

Iunctura laborare hanc opinatus est Lachmannus post v. 12. — Sed antequam ad hoc venio, nonnihil morandum necesse puto in quibusdam locis declarandis, quos per errorem interpretatos esse Fleischmannum aliosque ostendere aggredior.

Et primo quidem vv. 7-10 non amici verba esse contendo, veluti Fleischmanno Lachmannum secuto placuit (1), ut si secum eum colloquentem induxisset poeta; at eiusdem potius poetae, quem plus semel in suis carminibus secum ipsum sermocinantem deprehendimus. Atque mihi, quaeso, considera (praeterquamquod inepte omnino, quae sequuntur, amici exciperent verba) quanto rectius elegantiusque sit, sermonique huius elegiae praerupto et concitato accommodatius, postquam questibus et irae paululum indulsit poeta (vv. 1-6.), naturali quadam animi contentione, subito velut resipienti, quietisque tandem a curis appetenti, ipsi illam gravem tribuere sententiam! Ab ea vero statim cogitatione sevocat rursus meminisse perfidae puellae, suorumque in eam tot perperam beneficiorum; qua sine tamen, cum nulla sibi sit cura vitae (cf. I. 11, 22), « cur igitur potius » se hortatur « mortem mihi non consciscam? » (v. 17). Mirabilem sane concitati animi descriptionem, cui similem, si quid sentio, vix reperias apud ceteros amatorii carminis latinos scriptores:

---

(1) I. p. 19.

quam cum considero eandem prorsus esse in omnibus Propertii carminibus, nescio quomodo eius amorem omnes paene VV. DD. fictum habuerint, item quomodo in lacinias pulcherrimam hanc elegiam esse dividendam quidam putaverint.

In nostrum vero orbem redeuntes, nequaquam cum Fleischmanno facio etiam in interpretandis vv. 13-14., (1) quos puncto ab insequenti ille seiungit, velut si conclusa iis esset sententia: quod minime fieri posse per se quisque viderit vel prima fronte, propter ipsam verborum structuram, quae absolutum sensum, nullo modo, vel in sermone perquam presso, meo iudicio, capiunt. His enim verbis locum explicat Fleischmannus: — Ex antecedentibus vv. 11-12. poeta rationem concludit, id quod coniunctio *ergo* bene indicat: « Cynthia - inquit - meis muneribus carminibusque neglectis numquam me amavit; *ergo frustra*, sine ullo eventu multos annos multum laborem multamque operam perdidi et temerarius (i. e. consilii expers) *eram*, quia finem debebam respicere, qui futurus esset amoris atque amicitiae Cynthiae, puellae tam inconstantis. » Quod verbum substantivum *eram* deest, nullam habet difficultatem; nam et Brandt et Hertzberg multa exempla adferunt, quibus Propertium maiore etiam licentia in ea quidem re usum esse demonstrent (2) — Qua quidem nostra potior interpretatio sit habenda necne, iudicet lector: — Age mihi, improba, fatere: cum tot mala, tot per annos, a te tuisque, credulus nimium, pertulerim, umquamne promissam tibi fidem fefelli? Numquamne tamen opprobriis me obruere desistas? — Quod licentius quam communis verbi ferat sententia siquis dixerit a me interpretatum *ergo* esse, is sciat non tantum illud sic me voluisse prorsus intellegendum quantum quovis alio modo, dum vis velut indignantis

(1) Cf. nostr. n. p. 322.

(2) Brandtium non vidi: sed neque Hertz. neque, quod pluris interest, Prop. quid tale exhibent.

initio allocutionis augeatur; ut quodammodo voce *namque* idem usus est alicubi poeta (I, 3, 37.).

Disputatum praeterea diu multumque est, utrum Cynthiam an rivalem vv. 25-28. allocutus sit poeta. Cynthiam mavult Fleischmannus, prout qui non putet Propertium dicturum fuisse rivalis mortem *inhonestam* sibi futuram, verum Cynthiae mortem, exemplo permotus Vergilii (cf. Aen. II. 582 seqq.), qui *inhonestum* caedem *feminis* inferre vocat; sibique haec personae immutatio *ridiculum* paene quid efficere, atque orationem *enervare* videatur. — Verum de Vergilii exemplo quod est, non exinde continuo fieri ut ne rivalis caedes inhonesta sibi esset futura veritus non sit poeta, nemo est, puto, cui non liquerit. Quod autem transitus ille abruptus a puellae ad rivalis personam vires adimat sermoni, ac velut ineptum id ridiculumque fere esset damnandum, ego quidem contrarium prorsus teneo. Primo enim ad stilum concitatissimae huius elegiae optime progressum iudico nulla, ut diximus, adhibita verborum compage, convenire: dein id quod Fleischmannus tuetur absurdum omnino a natura Propertii est, qui numquam ita invectus est in Cynthiam ut mortem ei minitaretur; immo alicubi eius impudicitiam vel deorum exemplis excusat (II. el. 30.), cum extrema semper in rivales imprecetur. Tum, quomodo credendum, Propertium, cum in eo esset, propter rivalem, ut se ipsum interimeret, nequaquam tum rivalis ne quidem meminisse? — Minime praeterea illud transeundum argumentum puto quod ex *Achillis* mentione nobis plane exstat extrema elegia. Quod exemplum cum ita accipiat Fleischmannus (1) veluti si poeta iam iam mitigatus Cynthiae excusare se vellet quod nimium ira nuper corripi se passus esset, praeterquamquod sic utique demere sermoni nervos esset, diligentius consideranti, cumque praecedenti ab Hoemone Boeotio exemplo ducto conferenti (vv. 21-24.), non ita, ut Fleischmannus voluit, esse manifestum apparebit. Namque ut Hoemonem documento sibi habuit poeta, ne suamet se manu cum interficere vellet quis eum exprobraret, ita necis, quam rivali minatur, veniam sibi vindicat exemplo Achillis, qui quidem

(1) I. p. 20.

propter ereptam sibi Briseiden, in sua se castra recepit donec ei captiva reddita est, tot cives atque etiam Patroclum amicum mori passus. (1) Quocum exemplo aliquid Cynthiae esse quis sustinebit? — Alia postremo maximique momenti in hanc rem nobis ratio veniet ex ipsa elegiae structura, cum singulis sequentis elegiae singula huius κῶλα comparemus: utriusque enim summam eandem esse inferius videbimus. In 9. igitur quoque el. rivalis mortem avet Propertius, *salva tamen puella amata,* etiamsi sibi sit pereundum (vv. 51-52.):

« Quam mihi, si media liceat pugnare puella,
Mortem ego non fugiam morte subire tua. »

Ac veluti in 8., antequam ira eo processisset ut necem et rivali afferre sibi in animo destinaret, cum nihil valuerit ad exorandam perfidam amicam, extremum suae fidelitatis atque amoris pignus *mortem obeundo* ei dare paratur; eadem fere ad verbum et in 9. reperimus (vv. 37-40.).

Quod autem et Keilius Cynthiam potius quam rivalem his minis prosecutum Propertium putet, quod ita abrupte ad rivalem converti posse poetam minime ei credibile videatur; satis nos obiecturos duco, quem saepius memoravimus, praeruptum concitatumque totius huius, prae ceteris, elegiae sermonem; quo quidem illud etiam factum est ut medio in carmine, cum nil quid tale nemo sibi expectaret, *interfici se paratum* poeta fateatur (v. 17.); ac tot totque diversis locis lacunas in hac elegia coniecerint viri docti. Verum illud potissimum animadvertendum fuit Keilio, cum de rivali agatur, moris esse Propertii, postquam obliqua allocutione semel aut pluries de eo tetigit (cf. huius el. vv. 1, 5.), aut etiam, quod audacius videbitur, nulla de eo prius mentione facta, ex improviso stomacho erumpentem recta in eum invehi (cf. II. 9, 1. 23. 28. 48. 52. — 24, 23. — 25, 21. — III. 8, 37.).

Quibus declaratis, ad propositum tandem venientes, novum quid nobis in hac maxime el. proferunt interpretes, qui complures diversasque lacunas coniecerunt, ita ut alius ab alio per se ipsi plane

---

(1) Cf. Plaut. Miles Glorios. vv. 1284-88.

refellantur. — Post v. 12. lacunam notavit Lachmannus, quem quidem locum pro viribus iam explicare conati sumus: duas, post vv. 24. 28. Keilius. Post v. 16. discriminavit elegiam Lachmannus; post v. 28. Birtius; item post v. 26. Müllerus. — Equidem cum haec mecum reputo, ut erus ille in fabula venit mihi in mentem, cum, equi adopertis oculis, ex fure quaesiisset, utro is orbus lumine esset, « dextro » hic respondit: at illi neganti, « sinistro, hercle! » inquit. Neque prudenti plura.

El. 9.

Recte, mea quidem sententia, animadvertit Fleischmannus tres in hac dramatica quadam vi et forma personas agere, nempe *Propertii, Cynthiae* et *rivalis:* sed mirum non idem hoc eum vidisse in praecedenti el., quacum tam arcta haec est cognatione conexa, sicut ostensuros nuper promisimus, ut eodem profecto partu natae dicendae sint. Siquidem non solum personas agentes, sed res quoque utriusque elegiae easdem esse eodemque paene ordine videbimus; praeter quam, cum initio praecedentis de se magis egerit poeta, in prima huius parte (vv. 1-32.) plus est in tractanda puellae perfidia, atque rivalem instantius urget; nec id sine causa, ut suo loco dicetur. Ceterum, hic quoque de amoris incostantia philosophatur poeta (vv. 33-36.): item, aeque ac in praecedenti, postquam Cynthiae improbam obiurgavit agendi rationem, suaque tot in eam benefacta obiectavit, nil sibi reliqui esse quam obire mortem fatetur (vv. 37-40.); cuius quidem loci si, ut debuit, initium (v. 37.) cum initio Müllerus contulisset loci similis (v. 17.) 8. el., non equidem ibi elegiam diremisset, cum simili hoc a superiori parte aptum iunctura sit, nempe verbo *igitur,* atque illud verbis *quoniam ista tibi placuit sententia.* Hinc vero, nulla verborum compage (cf. II. 6, 41. — 7, 19. — 18, 33), quapropter lacunam ibi suspicatus est Lachmannus, velut in spem denuo arrectus poeta, ad Cynthiam placato animo supplexque redit; at rivalis imago cum se mox interponatur, iterum in eum imprecatur, illius mortem vel sua morte adfirmans esse redempturum (vv. 47-52.). Ita quemadmodum 8., 9. desinit elegia. Nunc vero, quod sororio vinculo arctius has duas elegias contineri

diximus, nec casu nec leviter id nos affirmasse iam viderit lector, adeo uniuscuiusque partes singulae singulis inter se respondent, ita sane ut utracumque forte perplexiorem habeat sensum, lucem ex altera profecto accipiat. Hoc autem nequis artificio quodam putet factum, immo praecipuum exinde argumentum velim sumat, ut sibi probet verissimum in suam puellam amorem descripsisse Propertium: quod non solum ex iis de quibus elegiae conveniunt, verum ex iis quoque in quibus discrepant inter se confirmatur. Etenim, cum carens omnino sensu esset, sola imitatione ductos, duo eadem sententia componere carmina, nullo praesertim carmine interiecto, quis non sentit aut nescit hoc idem pronum usitatumque inter poetas esse, cum affectibus forte maxime sint permoti in eoque diutius maneant statu? — De infidelitate igitur puellae certior iterum factus, diu tacuerat dolore oppressus poeta, donec, amico hortante, humentibus adhuc oculis, desperationem animi sui totam effudit in 8. el., cuius quae sit quamque accommodata sermonis concitatio iam vidimus. Cum vero ad eam scribendam accedenti duo haec potissimum opportune illi essent in animo defixa, nempe sibi consciscere rivalique mortem inferre, ita maximus his factus est locus in elegia, utique abruptissima oratione, ut plus sibi quam lecturo intentum deceret. Paulo vero post, sedatis aliquantum animi motibus, cum tamen eadem rerum condicio permaneret, Musarum solatium quaestum iterum pergit poeta, scribitque 9. elegiam, quae ideo in hoc tantum a praecedenti differt, quod remissiorem magisque continuum habeat stilum, querelarum plus in ea sit quam obiurgationum, atque etiam in spem parumper, cum eam scriberet, adduci passum poetam doceamur. — Itidem, in gratiam cum rediisset cum Cynthia, quae prima nocte summa collegit gaudia, *duobus continuis* elegiis expressit (II. 14 et 15.)

El. 10. 11.

Fragmenta haec duo, non integra carmina, putavit Lachmannus; illud ob particulam *sed* ab initio positam, hoc propter *brevitatem*. — Quae quidem argumenta quam sint infirma non refert dicere. Ideo, praesertim quod ab aliis iam adversus ea prolatis quae adiciam mihi non sint, omni mora intermissa, ad proximam el. pergamus.

El. 12. —

Interrumpi hac elegia historiam amoris asseruit Hertzbergius, (1) quod quidem prorsus contrarium esse mox ipse Propertius nobis plane suadebit.

El. 13. —

Novum carmen incipere post v. 16. duxit Lachmannus, post. v. 42. Hertzbergius: quae vero, vel propter exteriorem carminis structuram nihili esse facienda ab ipso poeta docemur. Primo, quod v. (17:)

« Quandocumque igitur nostros mors claudet ocellos »

ita plane praecedentibus sit conexus ut v. 17 el. 8:

« Sic igitur prima moriere aetate, Properti? »

et v. 37. el. 9:

« Nunc, quoniam ista tibi placuit sententia, cedam »

de quibus iam est dictum; praesertim vero ut v. 71. el. 1:

« Quandocumque igitur vitam mea fata reposcent »

quem eumdem omnino atque illum esse nemo est quin perspexerit. Deinde, ad v. 43. quod attinet, quod frequentes cum tales occurrant transitus mediis in carminibus Propertii (cf: I. 11, 9. — II. 9, 47. — 14, 15. — 15, 25. — 16, 19, — 33, 3.) nulla elegia a verbis *atque utinam* principium capiat. — Sed antequam ad interiorem carminis sententiam accedo tractandam, quoniam postremum attigimus eorum quae corruptissima, iniuria temporis, ad nos pervenisse sibi suaserat Lachmannus; iuvat retro iter peractum respicere, ut, quas excussimus, elegiarum sententiis simul ordine examinatis, an huic cum illis quicquam sit videamus, quod tum ipsi el. enucleandae, tum meo denique proposito probando conducat. Quae quidem opinio mea sit de dispositione carminum propertianorum, iam ante exposui, nempe eodem quo nunc habemus ordine, prout vexatissimi amoris ferrent vicissitudines, nulla alia adhibita ratione, exarata a poeta fuisse: ita ut, vacua mente carminibus perlectis, ipsarum amoris vicissitudinum gnari esse possimus. Quod

(1) Hertz. lib. IIII., cap. II. p. 218.

quidem, si nemini prius, nobis haud aegre cessurum confido de iis, quae in manibus sunt, lib. II. el. agentibus.

Igitur, composita pace post primum discidium, quod in intervallo inter primum secundumque lib. poni debet, non multum in fide permansit Cynthia, nihil tamen ab initio credulo amatore sentiente. De quo tandem rumore aliquo ad aures illius adlato, subito nuncio permotus irae atque indignationi indulget poeta: optimumque ratus si nil sibi negotii iam exinde cum pervicaci puella esset futurum, alioque potius ardores suos traiceret, id se hortatur illico perficere dum ira sit recens, ne, cum facile irati amantes verbo mutentur, dolore unius noctis spatio remisso, amor rediret. Aliam se inventurum quae fieri nota velit suis carminibus, neque sibi tam duris moribus insultet: paenas autem de perfida satis sumpturum promittit uno versu qui de levitate eius in perpetuum fidem faciat, eique, quamquam contemnat murmura famae, pallori certe sit futurus. Hactenus el. 5.

Verum enim vero non valuit poeta iniusto se statim subtrahere iugo, nocteque eo statu peracta, acrius postero die exarsit, et quo erat furore correptus, violenter in Cynthiam invectus est, turpissimae cuique veterum feminarum eam aequans, initio el. 6. — Mox vero exsuperat amoris ingens affectus, quem quidem, relictis conviciis mitioreque usus sermone, excusat poeta quod is adeo suspiciosus sit ut vel adulescentium pictae facies nominaque et infans in cunis puer eum laedant, item laedant si multa illi mater oscula dederit aut soror aut amica quacum simul dormierit, atque etiam ne in tunica vir sit absconditus, miser suspicetur. Amore enim vel magna praelia antiquitus inita esse, ipsumque Romulum rapiendarum puellarum auctorem fuisse Romanis. Verum, terque quaterque felices Admeti et Ulixis uxores, et quaecumque viri lectum castum servent! Quae si rariores tunc temporis factae sint, recentem praecipue parietum obscenis tabulis exornandorum morem esse culpandum. Ceterum, quae castae manere velint, tum quoque satis per se tutas, nullo custode, esse posse: de se, neque uxorem umquam neque ullam amicam a Cynthiae amore esse deducturas. —

Nunc vero, si haec duo cum insequentibus carminibus 8. et 9.,

de quibus verba fecimus, comparemus, eo potissimum inter se differre videbimus, quod in illis certum adhuc rivalem amator ignoret, neque manifestum dissidium iterum iam acciderit; adeo plane ut mirum equidem non sit quod extremis el. 6. vv. ita Propertius Cynthiam alloquatur velut si concordes tamen essent: item, quod sublatam per id tempus legem de maritandis ordinibus, quà quondam edicta uterque simul diu flevissent, illam gavisam putaret (el. 7); et hanc quoque elegiam, aeque ac praecedentem, pacato in illam animo concluderet.

De ell. 8. et 9. nil dictis insuper addere necesse. Quibus scriptis, illud profecto conicere licet medio in discidio esse tum amantes; ita ut, occasione oblata laudes tunc Augusti celebrandi, quid opportunius el. 10? In qua illud praesertim est notandum, Propertii tum in animo statutum esse (quod quidem nemo sanus serio dictum putabit) Cynthiae laudes in perpetuum omittere (v. 8.): id autem plane confirmatur brevissima illa 11. el., quam veluti fragmentum omni carens sensu damnaverat Lachmannus. Etenim postquam, ut aequum fuit, irae ac dolori, praecedentibus elegiis, satis indulsit deceptus amator, poetae tandem suae memori virtutis resurgit animus; utque antea poenas de ea sumpturum, de eius levitate scribendo minatus erat, ita se modo nihil de ea scribendo satis vindicatum iri fatetur.

Verum, eo ipso quo se Cynthiae obliturum omnino affirmat, ad eam nihilo secius cogitatione redit: siquidem, heu! differtur numquam tollitur ullus amor (II. 3, 8.); cumque suum unicuique dederit vitium natura creato, ei aliquid semper amare dedit (II, 22, 17-18); neque aliam amare, neque ab hac ei discedere fas erit (I. 12, 19) — Praeterea, quoniam puer effictus sit Amor, quid mirum sine sensu si vivant amantes? Et alas quidem telaque Amorem gerere; sed in suum cor cum advolaverit, ibi certe illum perdidisse pennas, assiduumque bella suo sanguine gerere. Parcat sibi tandem Amor; namque, se mortuo, quis erit,

Qui caput et digitos et lumina nigra puellae,
Et canat ut soleant molliter ire pedes?

Haec enim el. 12. est summa. [1] Quo quidem carmine, praesertim extremo disticho, ad gratiam Cynthiae recuperandam, gradus mihi factus, quantum a poeta esset, perbelle, si quid felix audio, videtur. Neque id mirum, aut insolens Propertio; immo usitatissimum, atque totius amatorii Prop. operis praecipua haec velut habenda sententia, quae cum saepissime in eo occurrat, ita duobus vv. (33-34) in prima lib. I. el. iam est conclusa:

In me nostra Venus *noctes* exercet *amaras*,
Et *nullo* vacuus *tempore* defit amor.

Quod si in totum Propertii amatorium opus inquirentes, in unum ordine coegerimus locos qui de eius ingenio, quantum ad amorem pertinet, sunt; cum ita eum sibi constantem semper videbimus ut de eius amore in Cynthiam, utrum verus an fictus sit, qualem in carminibus ipse descripsit, minime, ex mea quidem sententia, liceat dubitare; tum ad 12. el. declarandam, nempe quid sibi eo loco velit (quoniam Hertzbergio [2] hoc carmine amoris historia interrupta visa) satis superque habebimus. — Ad amandum perpetuo natura comparatum se ait poeta, neque cum semel captus esset amore, cito desistere. Omnia sibi esse Cynthiam, domum, parentes, uxorem, amicam; cumque prima fuisset, ultimam esse futuram. Ceteros amatores non quicquam aliud quam gloriam sibi de Cynthia quaerere, eam brevi relinquere, neque in rebus adversis adesse: se vero numquam ab ea discessurum, atque ad omnia pro ea usque esse paratum. Infelicissimam se agere vitam propter Cynthiae perfidiam, ita ut melius esset interimere sese, aut saevissimo cuique tyranno servire: cauturum se tamen dominam mutare; omnia perpessurum, cum sibi leve onus feminae, multumque prodesse in amore constantia videretur. Ceterum, quo aufugiendum? instare enim ubicumque amorem supra caput. Denique, cum omnia in terris senescant, solum amorem non deficere aetate: absumi ferrum rubigine, gutta lapidem cavari; amatorem vero puellae plagis non teri; contemptum rogare, laesum in culpa se profiteri, et, quamvis invito animo, *ultro gratiam impetratum redire.* —

(1) Cf. Petr. In vita di mad. L. son. LX, LXV.
(2) Cf. nostr. n. p. 328.

Unicuique dedit vitium natura creato:
Mi fortuna aliquid semper amare dedit.

(II. 22, 17-8.)

Hoc mihi perpetuo ius est, quod solus amator
Nec cito desisto, nec temere incipio.

(II. 20, 35-6.)

Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,
Omnia tu nostrae tempora laetitiae.

(I. 11, 23-4.)

Mi neque amare aliam neque ab hac discedere fas est:
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

(I. 12, 19-20.)

Ultima talis erit quae mea prima fides.

(II. 20, 34.)

Tot noctes periere. Nihil pudet? Aspice, cantat
Liber: tu nimium credula sola iaces.
Et nunc inter eos tu sermo es: te ille superbus
Dicit se invito saepe fuisse domi.
Dispeream si quicquam aliud quam gloria de te
Quaeritur . . . .
Ah nimium faciles aurem praebere, puellae,
Discite desertae non temere esse bonae.
Nos quocumque loco, nos omni tempore tecum
Sive aegra pariter sive valente sumus.

(II. 21, 5. seqq.)

Discidium vobis proximus annus erit.
At me non aetas mutabit tota Sibyllae,
Non labor Alcidae, non niger ille dies.

(II. 24, 32-4.)

Durius in terris nihil est quod vivat amante,
Nec modo, si sapias, quod minus esse velis . . . . .
Nunc iacere e duro corpus licet, impia, saxo,
Sumere et in nostras trita venena manus.
Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo.
Tum flebit, cum in me senserit esse fidem.

(II. 17, 9. seqq.)

Nil ego non patiar: numquam me iniuria mutat:
Ferre ego formosam nullum onus esse puto.

(II. 24, 39-40.)

Multum in amore fides, multum constantia prodest.

(II. 26, 27.)

Quo fugis ah demens? Nulla est fuga. Tu licet usque
  Ad Tanain fugias, usque sequetur Amor.
Non si Pegaseo vecteris in aëre dorso,
  Nec tibi si Persei moverit ala pedes,
Vel si te sectae rapiant talaribus aurae:
  Nil tibi Mercurii proderit alta via.
Instat semper Amor supra caput; instat amanti,
  Et gravis ipse super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos et tollere numquam
  Te patietur humo lumina capta semel.

(II. 30, 1-10.)

Miles depositis annosus secubat armis,
  Grandaevique negant ducere aratra boves,
Putris et in vacua requiescit navis arena,
  Et vetus in templo bellica parma vacat:
At me ab amore tuo deducet nulla senectus,
  Sive ego Tithonus sive ego Nestor ero.
Nonne fuit satius duro servire tyranno
  Et gemere in tauro, saeve Perille, tuo,
Gorgonis et satius fuit obdurescere vultu,
  Caucasias etiam si pateremur aves?
Sed tamen obsistam. Teritur rubigine mucro
  Ferreus et parvo saepe liquore silex:
At nullo dominae teritur sub limine Amor, qui
  Restat et inmerita sustinet aure minas.
Ultro contemptus rogat, et peccasse fatetur
  Laesus, et invitis ipse redit pedibus.

(II. 25, 5-20.)

Hos igitur extremos praesertim versus considerantes, praeterea vv. 13-16. el. 12:

« *In me tela manent,* manet et puerilis imago,
  Sed certe pennas perdidit ille suas,
Evolat heu! nostro quoniam de pectore nusquam,
  Assiduusque meo sanguine bella gerit. »

cum primo disticho el. 13. conferentes:

« Non tot Achaemeniis armatur Itura sagittis,
  Spicula quot nostro pectore fixit Amor. »

quanti faciendam quam de hoc carmine supra memoravimus sententiam Hertzbergii putabimus? Quis contra est quin viderit, duodecimam circumstantibus elegiis, et sententia et verbis, arctiori etiam quam ut soleant Propertii carmina nexu esse coniunctam?

Sed in promptu omnia iam sunt, quae ad 13 el. recte intellegendam sufficiant. Animis post 9. scriptam el. resumptis, omnique e pectore vulgari ira deiecta, suae tandem virtutis memor poeta (ell. 10-11.), cum, qua *blanda* esset indole, mox novis exardesceret flammis (el. 12.), suam quidem praestantiam in condendis carminibus obiectans Cynthiae, qua nemo certe rivalium esset praeditus, illius sic, ut saepius, levitati blanditur (cf. II. 24., 21-23.). — « Ab ipso Amore poetam se delectum, seque Cynthiam, unam suis dignam carminibus, canendam, atque etiam iudicem ex omnibus maxime idoneam sibi legisse. (vv. 1-16.) — Item, post obitum, missis sepulcri supervacuis honoribus, satis magnam sibi futuram pompam si tres secum haberet perfectos carminum libros, et Cynthia sola sibi iusta solveret. (vv. 17-42.) — Vel melius mortuus fuisset in cunis, ne, ut quondam nimium longaevo Nestori Antilochi funus, sibi Cynthiae amoris funus videre contigisset. Caveret denique Cynthia, ne frustra urgendum illi suum esset lacrimis sepulcrum: non enim se ab inferis excitatum iri. (vv. 43. ad fin.) —

Sic in tres partes *distinguendam*, minime vero *seiungendam* hanc el. perspicuum, ni fallor, iam fuerit omnibus. Seiunctioni enim ex ipsa carminis structura ductas obstare rationes ante vidimus: ad interiorem autem sensum quod attinet, quae fuse disseruimus singillatim de praecedentibus ell., itemque quod supra dedimus elegiae compendium, valde sufficere puto ut quisque per se iudicet de apta huius integri carminis compositione, cuius quidem summa tota est in ultimo disticho. Amatoris enim optime conditionem animi hoc carmine exprimit, qui ad captandum Cynthiae favorem omnino esset inclinatus, duobus his potissimum ad id maxime convenientibus, illius excitando superbiam, suique miserationem permovendo. Non contu-

meliis in Cynthiam, non diris minisque in rivalem, cuius modo ne mentio quidem, est hic locus: plena dignitate oratio, suavissima quadam usque tristitia tincta atque moerore. Non humilibus instantibusque precibus Cynthiam prosequitur poeta, at oblique, ut par fuit, leviterque passim rem suam attingens (vv. 15. 86. 57.), manifestissime tamen cohibitum animi ingentem ardorem patefacit.

Egregie ergo fallitur Hertzbergius, qui versu 42. hanc. el. vult conclusam, velut si Propertius contentus denique mori prorsus esset: et absurdum superadstruens absurdo, quam ex el. 9. post v. 40. lacerarat, in huius el. inde a v. 43. laciniam imponens, absolutum undique carmen restituisse putavit. Idque ea simplicitate eaque persuasione defendit, ut non ingratum futurum sit fortasse lectoribus ipsum Hertzbergium de hac re loquentem audire. — « Iam mihi considera, quid illud sit, quod librarii dignum habuerint, quo tam egregium poema ipsumque adeo conditum et sepultum poetam contra eius vota suprema turbarent. Eum, quem ita contentum sua conditione modo vidimus et beatum, ut vel post cineres alia uti se velle negaret, hunc eundem continuo iubent vitam suam exsecrari horamque ipsam, qua primum lucem adspexerit, flebiliter detestari. » (Quaest. Prop. p. 99.) — « Has duas laceras partes dum comparo et accuratius excutio, non sine magna mea admiratione vidi, coniunctas integrum et ab omni parte solidum efficere carmen etc. » (Ib. p. 219.) — Sed Hertzbergio adversari sufficiat, minime in utraque elegia mortem invocasse Propertium, verum Cynthiae amorem: quod quidem in extremis illis elegiarum partibus significatum maxime est; quibus avulsis, praecipua etiam carminum sententia est sublata. Quomodo autem ex v. (17.):

« Quandocumque igitur nostros mors claudet ocellos »

mori tunc se *velle* poetam Hertzbergius interpretatus sit, nescio: quem locum si cum vv. 71-78. el. 1. huiusdem lib. conferas, id quod volo per te satius tibi erit persuasum. Quanto melius, cum hanc interpretaretur elegiam, in mentem Hertzbergius revocasset ele-

giam 19. lib. I., in qua de exsequiis itidem cum agatur, nequaquam iis tum contentus videtur poeta, qui tandem concludit (vv. 25-6.):

> « Quare, dum licet, inter nos laetemur amantes:
> Non satis est ullo tempore longus amor. »

Cui quidem clausulae, siquis callide rem consideraverit, aptissime elegiae 13. inde a v. 43. clausula respondet; cum eo solum inter se differant, quod temporum diversae omnino essent opportunitates, cum illam el. scripsisset in gratiam reversus cum Cynthia, hanc vero discidio usque ab ea seiunctus.

Ita, quae in I. Lachmanni argumentationem, nostro e penu, proferre habebamus, quantum a nobis fuit, expositis, illud utinam sim assecutus ut prudentibus haec tria probaverim:

I. — Nullum omnino indicium esse nobis, quo putemus opus Propertii mutilum ad nos pervenisse; sed contra potius.

II. — Elegiarum quae inter 5. ac 13. lib. II. continentur, etsi quaedam hiulca valde oratione sint scriptae, propter summam animi concitationem, qua tum laboraret poeta cum eas componeret, unamquamque tamen absolutissimum perfectumque carmen exhibere.

III. — Hunc amatorii Propertii operis tractum, non modo non exstare lacunosissimum, immo inter omnes in quos illud, pro amoris vicissitudinibus, dividi posse diximus, (1) eum esse qui maximo temporis spatio contineatur, aut certe maiorem quam ceteri materiam canendi obtulerit poetae; qui eo gradatim, vario semper stilo opportunitati accommodatissimo, animi sui affectus, secundi discidii tempore, mirabiliter effinxit.

---

(1) Cf. Quaest. I. p. [redacted] 15-16.

III. De altera Lachmanni argumentatione: quod el. 10. lib. II. alicubi esse non possit quam in capite libri Augusto dicati. —

Trium hanc pessimam cum Plessisio (1) nos quoque vocabimus: tria enim Lachmanni sententiae obstant, quorum unumquodque ad eum refellendum prorsus valet, nec quicquam adhuc momenti adversus ea Lachmanni studiosi tulere. — Primum igitur est, quod totus liber esset de amoribus compositus, cum in el. 10., quem quidem huiusmodi libri Prologum volunt, *bella* se canturum, dicta iam satis puella, Augusto promittat poeta. — Alterum, quod Nonius, sub v. *secundare,* haec habet: « Propertius Elegiarum libro III: *Iam liquidum nautis aura secundat iter;* » quem versum, cum ex vulgata lectione in lib. III. utique legamus (el. 21, 14.), in IV. Lachmannus reponit. — Tertium denique, quod versus (II. 24, 1.):

« Tu loqueris, cum sis iam *noto* fabula *libro,* »

idest, *I. iam edito libro,* ex Lachm. recensione in III. lib. cadit. — Quae sicui fusius tractata nosse placuerit, ad eos ablegamus qui prius de iis scripserunt: nobis enim addere nihil in promptu est. Breviter potius dicendum putamus de iis quae alii, praeter Lachmannum, viri docti, genio suo quisque morem nimium gerentes, praepostera sane commenti sunt (2).

Ex his Keilius, (3) qui cum Lachmanno cetera facit, non putat hanc el. necessario prologi loco ponendam; posse enim medio quoque in libro legi: nescire se traditorum carminum qui prologus vere fuisset, cum praesertim in deperditis esse posset.

Birtius (4), qui contra primum, quod nuper in Lachmannum attulimus, argumentum, totus est ut prologum ceterasque illius effìcti

(1) l. c. p. 109.

(2) Gruppe. Die Röm. Eleg. t. 1, p. 275. Heimreich, Quaest. Prop. p. 32 - Lütjohann, Commentat. Prop., Kiel 1869 p. 78 in nota. Hertzb. l. c. p. 217 - Baehrens l. c. p. 42 - R. Scharf. l. c. p. 7 in nota - Fleischmann, l. c. I p. 33-36.

(3) l. c. p. 45.

(4) Bücherwesen p. 421-422.

lib. III. elegias componat, Propertium exponit, postquam medio in prologo Augusti laudes breviter prosecutus esset, rogavisse praeterea ut ea sibi, vilia velut tura, interim satis haberet, pollicitum se ad eum, extrema aetate, tum rediturum cum puellam satis cecinisset (itaque vv. 7-8. post v. 20. transponit vir clarus): in epilogo vero libri (el. 34.), tamquam hac etiam se promissione exempturum, Lynceum amicum, quippe ad epicam magis idoneum, ad id excitasse.

HEIMREICHIUS, perturbatione quadam libri archetypi sibi effecta, epilogum lib. II. restituere ita conatus est: II. 10, 21-26. II. 10, 1-20. III. 9, 47-60: qui autem versus el. 9. lib. III. reliqui essent (1-46. 59-60), prologum esse lib. III.

LÜTJOHANNO post ultimum discidium scripta, ergo in ultimum lib. transponenda videtur.

Idem BAEHRENTI visum, qui vero totam seriem carminum 7-13. sub finem lib. III. reiciendam censet.

HERMANNUS KNAUTHIUS traditos tres priores libros in quattuor, elegiarum numero, fere aequales cum distribuisset, ex ell. 1-9, 15-24. II. libri alterum suum librum constituit: ex reliquis eiusdem traditi libri carminibus illius tertius exstitit, praeeunte ut prooemio el. 10.

I. IV. V., ex Lachmanni distributione, solos libros Propertium emisisse contendit ANT. MARXIUS (1): reliqua vero carmina, amicorum inscitia, post mortuum poetam, in unum lib. (traditum II.) evulgata esse, cum propositum Propertio fuisset in duos eum discriminare post el. 9.

At satis de his haec sit mihi dixisse; neque quemquam a me exacturum confido, ut singulatim refellam quae alucinati sunt viri doctissimi: praesertim cum exemptum me hoc plane putem, qui multum iam, meam hac quidem super re opinionem proponens, sim immoratus. Ceterum plura, sis, in hoc a Fleischmanno recte prolata reperias; cui libenti quidem animo assentior cum, occasione data el. 10. lib. II. compositam probaturus, hanc fateatur legenti illud Horatii carminis initium in mentem sibi venire: « Nunc est bi-

---

(1) De S. Prop. vita et libror. ord. temporisbusque - Lipsiae 1884.

bendum, nunc pede libero etc. » Igitur, iuvat repetere, el. 10. lib. II. certa quadam opportunitate haud dubie condidit Propertius, anno videlicet, siquidem BRANDTII calculis fides habenda, 730. ab u. c., quo maximas Augusto Ælii Galli in Arabiam expeditio spes excitavisset. (1)

Neque huic similes, idest per occasiones exaratae, aliae Propertii desunt elegiae, cuiusmodi praecipue notandae II. 7. 22. 31., III. 4. 7. 9., quarum nulla tamen est, si recte reputaveris, quae non apte ex amatoriae narrationis filo, aliqua saltem ex parte, nectatur. Quodsi praeterea, in hac ad Augustum elegia, totum se esse velle in rebus gestis Augusti canendis in futurum tempus promittit poeta, id quoque per occasionem dictum alii docent loci, quibus in aliis alias prosecuturum res carmine, cum senex factus sit, profitetur. — Naturae perdiscere mores, an deus esset, astrorum motus, cur suos fines mare non exiret, essentne sub terris iura deorum, similia, — cum Venerem gravis intercepisset aetas, sibi proponit in el. 5. lib. III., in qua de semet ipso tantum agit. Verum in el. 17. eiusdem libri, qua ad Bacchum poeta confugit humilis orans — ut, quoniam curarum medicina fieret mero, vitium amoris ex animo suo dilueret, atque sollicitum caput vinceret sopore: si haec impetrasset, quod superesset sibi vitae per eum eiusque cornua victurum, virtutisque eius poetam latum iri polliceri. — Maecenati autem, quo familiariter poeta utebatur, ad carmina heroica eum invitanti, duobus praesertim locis (II. 1, 17 seqq. - III. 9) aperte declarat — minime ad hoc suum ingenium natura esse accommodatum. — Ergo, quod sibi non constet, num ideo poetam damnabimus? Denique, si exteriorem carminis formam spectemus, quae ad prologum aptior elegia 9. lib. III.?

(1) l. c. p. 27-35.

IV. De tertia Lachmanni argumentatione. —

Sed omnium praecipuum argumentum, cuius communiendi gratia cetera perquisita tenendum est, quamquam id silentio dissimulant omnes qui talia coniecere, illud est ductum a II. 13, 25-6:

> « Sat mea sit magna (1) si *tres* sint pompa *libelli*,
> Quos ego Persephonae maxima dona feram: »

quos quidem versus non putant huiusmodi viri docti inesse posse nisi in III. libro. Ceterum primus hoc in dubium revocavit eximius ille XVI. saec. perturbator carminum Propertianorum, I. Scaligerum dico, quem ceterarum quoque insequentis aevi nec non Lachmanni turbarum auctorem habere debemus. Sed antequam ad statum veniamus, libet breviter attingere quae, ad haec componenda, qui ante nos fuere interpretes excogitaverunt.

Iam ante Lachmannum natum, Broukusius itemque Burmannus carmen II. 13. ex III. in II. lib. traiectum putarant.

Heinsius ita a se correctum praebuerat v. 25.:

> « Magna satis *duo tresve* mei sint pompa libelli. »

Vulpio libri *Mimnermi, Callimachi* ac *Philetae* intellegendi visi.

Coniecerat Barthius (2) II. et III. libros simul a poeta editos fuisse, casuque carmen, de quo agimus, ex III. in lib. II. irrepsisse.

Post Lachmanni coniecturam, Paldamus (3), Beroaldo praeeunte, *velle* tantum poetam significasse dixit, ad tres libros opus amatorium perducere, cum nondum II. confecisset.

Non a Propertio, sed post eius obitum ab amicis libb. II. et III., nulla disponendorum carminum ratione habita, divulgatos contendit Hertzbergius (4).

---

(1) *Magna*. Ultima producitur, sequente caesura: quod ne admitterent, varie hoc hemistichium critici ad arbitrium correxerunt.

(2) Prop. vita per annos dig. p. 83.

(3) Röm. Erotik p. 71.

(4) l. c. p. 216 seqq.

De Knautii, Baehrentis, Marxii opinionibus iam est dictum, cum de altera Lachmanni argumentatione ageretur.

Nobbius autem (l. c.) aliam prorsus viam secutus, *libellos* non libros hic significare, sed singula *carmina*, probare studuit: item *tres* non absolute positum, verum indefinite pro *quibusdam* vel *paucis*, ut apud Plaut. mil. glor. IV. 2. 26: « *tribus verbis* »; trin. IV. 2. 121: « *tribus verbis volo* » (1).

Quae opinio, dimidio amplius post saeculo, a Voigtio (l. c.), nulla tamen de Nobbio mentione habita, recepta est, quamquam iam Hertzbergius eam refellerat.

In horum sententiam it Fleischmannus ad *libellorum* significationem quod attinet; *ternarium* vero numerum, quod iam Beroaldus coniecerat, nostris autem temporibus Brandtius quoque (l. c.) ante Fleischmannum sustinuerat, accipiendum hoc loco pro numero *sacro* defendit.

Sed fusius atque diligentius in hanc rem est inquirendum, quam post Fleischmannum, quod sciam, retractavit nemo (2). — En

---

(1) Cf. Ov. Ex P. IV. 3, 25:

Si mihi rebus opem nullam factisque ferebas,
Venisset *verbis* charta notata *tribus*.

« *Tres* » indeterminate dictum etiam Reisch contendit (Properzstudien — Wien. Stud. IX. 1887. p. 96), propriam vero is *libelli* retinens sententiam. Ineptius sane ceteris! Solet enim, istiusmodi locutionibus, parvus utique numerus intellegi, non minor tamen eo qui, ut minimus, usurpatur. Verum *tres*, pro *paucis*, hic libros dixisset Propertius, medio nondum altero perfecto!

(2) Novissimus Propertii editor, Rothsteinius (Sex Prop. Ell. voll. II, 1898) qui traditum librorum numerum servavit, nulla vero Lachmannianae quaestionis mentione facta, huiusmodi ad hunc locum commentationem apponit: tres carminum libros (ex Graecis exemplaribus delectos), veluti totius bibliothecae insignia, secum ducere velle vita functum poetam, quippe cum moris esset apud veteres condere simul cum mortuo arma, utensilia, ea denique quibus ipse vel delectatus vivus, vel usus maxime esset. His amplius non velle libris feretrum cumulari, sive quod sacer esset ille numerus, vel ne, si plures, amplitudinis gratia, se libri comitarentur, Cynthiae honos, quam maximi faceret quamque unam exequiarum comitem sibi rogaret, imminutus videretur. — Utut est, Vulpium nostrum iam vidimus tres e bibliotheca sumptos libros esse interpretatum, eo tamen Rothsteinio verisimilius, quod ille tres certos auctores nominasset, Mimnermum Callimachum Philetam; aut tres pro aliquibus indeterminate dictum putasset, quibus feretrum poetae instrueretur, cum tabulis pictis, imaginibus, aliisque multi pretii rebus, more divitum, ipse nequiret: Rothsteinius autem tres qua-

igitur alia Propertii exempla, quibus niso Voigtio, adsentiente Fleischmanno, ita concludendum est visum: « Ex aliorum consuetu-« dine *tres libelli* possunt esse tria carmina, ex Proper-« tiana consuetudine non facile possunt esse aliud: »

1. « Ignosces igitur, si quid tibi triste *libelli*
Attulerint nostri . . . » (1) (I. 11, 19.)
2. « Fortunata meo si qua est celebrata *libello.* » (2) (III. 2. 15.)
3. « Ista meis fiet notissima forma *libellis.* » (3) (II. 25, 3.)
4. « I, quaeso, et tristes istos compone *libellos,*
Et cane quod quaevis nosse puella velit. » (4) (I. 9, 13.):

Quibus opponit exempla, ubi *libro* seu *volumine* (5) usus est Poeta:

5. « Tu loqueris cum sis noto iam fabula *libro,*
Et tua sit toto Cynthia lecta foro. » (II. 24, 1.)

---

lescumque libros intellexerit, atque modo id poetam voluisse ut exemplaria Graeca ad scribendum in Elysiis quoque campis praesto haberet, modo vero ut opes Inferorum reginae eo, quamvis parvo, dono augesceret. Mitto exempla quae ad miram hanc interpretationem confirmandam abunde, more suo, attulit V. D.; etenim eorum nullum est quod commode illi conveniat. Praecipuam mitto totius carminis sententiam, quam, ni nosmet ipsi falsi sumus, Rothsteinius nequaquam acu tetigisse videtur: atque ita demum concludendum censeo, non secus ac reliquas omnes quae ad hoc tempus vexatissimi huiusce loci in lucem provenerunt, valde a vero remotam minimeque probandam Rosthsteinii esse interpretationem.

(1) Sic *ocelli,* pro *oculis,* semper fere apud Prop., non solum de Cynthia, more blandientium, cum agat, verum etiam proprios et cuiuslibet oculos intellegens (I. 3, 19; 9, 27; 10, 7 etc.)

Idem *colla* saepius usurpat quam *collum. Umbras* praeterea (II. 8, 19) et *rogos* (Ib, 20) vocat unicum rogum et umbram suimet ipsius. Cf. nr. pag. 55. II. b.

(2) Quem cum sequatur pentameter:

« *Carmina* erunt formae tot monumenta tuae, »

inde plane evincitur *carmina libello,* idest, *libro* contineri. Cf. nr. p. 57. I. *a-e.* Etiam relat. exempl. numm. 3, 7.

(3) Cf. num. 7.

(4) Ponticum amicum poetam epicum, si puellis placere velit, hortatur ut *poemata (libellos)* tristes pugnas canentia seponens, leves elegos scribere instituat. Cf. nr. p. 55 III.

(5) *Voluminis* et *libelli* nominibus promiscue utitur Ovidius, Metamorphoseon et Fastorum significans *libros* (1). Cf. nr. p. 55. III. et p. 58. *b, d, h.*

(1) Cf: « Postremo placuit exemplo multorum unum separatim hendecasyllaborum *volumen* absolvere, nec paenitet. Legitur, describitur, cantatur etiam, et a Graecis quoque, quos Latine huius *libelli* amor docuit, nunc cithara nunc lyra personatur. » PLIN. Ep. VII 4.

6. « Unde meus veniat mollis in ora *liber.* »
(II. 1, 2.)

7. « Longa mea in *libris* regna fuere tuis. »
(IV. 7, 50.)

8. « Et turpis de te iam *liber* alter erit. »
(II. 3, 4.)

9. « Hoc totum e Coa veste *volumen* erit. »
(II. 1, 6.)

Quae satis esse superque Fleischmannus sibi putavit ut colligeret: — « Sed id iam constare debet Propertium vocem « *libelli* » « usurpare ad carmina singula significanda, et volumen « carminum voce « *libri,* » significare » (1). —

Ne multi simus, paucis complectar quae de harum vocum usu apud optimos Latinos scriptores diligentissime pervolutos inveni, quae in quattuor potissimum capita cogi possunt:

I. *Liber* idem est ac *libellus*:

> « Cum pulcre dominae nostri placuere *libelli,*
> Quo licuit *libris,* non licet ire mihi. »
> (Ov. Am. III. 8, 5.):

quod etiam extra numeri rationem:

« Omnes quidem *libelli* mei, domine, quibus tu famam, id « est vitam, ... Cum pars *libri* et maior et melior... in ipso « *libelli* huius limine . . . » (Mart. lib. VIII.)

II. Numeri permutantur: a) sing. pro pl:

> « At cur in nostra nimia est lascivia musa,
> Curve meus cuiquam suadet amare *liber?* »
> (Ov. Trist. II. 313.):

b) pl. pro sing:

> « Legerat huius Amor titulum nomenque *libelli* . . .
> « Impia si nostros legisset Scylla *libellos* . . .
> (Ov. Rem. A. 1. 67.)

III. *Liber* et *Libellus* (quorum loco promiscue reperiuntur etiam voces: *scripta, opus, carmen, carmina, versus, charta, chartae,*

(1) l. c. II p. 25.

pagina, volumen) universim pro *toto opere poetico* persaepe accipiuntur:

> « Neve peregrinis tantum defendar ab armis,
> Et Romanus habet multa iocosa *liber.* »
> (Ov. Trist. II. 421.)

IV. *Libellus,* communi *libri* significatione, apud poetas quadruplo usitatior est quam *liber;* quod praesertim, absque ullo dubio, dedicationes et prooemia exhibent. Pro *libello,* interdum invenitur *parvus liber* (1).

Quae cum ita sint, unusquisque iam per se viderit, exempla ex Propertio a Voigtio item a Fleischmanno ducta (praeter ea, quae ad singula a nobis loco adnotata sunt), uno aut alio horum capitum facile contineri: adeo sane ut nostrum omnino sit concludere —

---

(1) Innumera paene eiusmodi exempla invenies in operibus elegiacis Ovidii, apud Martialem et apud Phaedrum.

Neque pluris ducendum, quod contra solet etiam afferri, exemplum Horatii (Sat. I. 10, 92):

> I, puer, atque meo citus haec subscribe *libello:*

quem versum, cum in postrema libri satira sit, ad librum quam ad ipsam satiram referre malo; exemplo permotus eiusdem Horatii, qui, epistula ultima libri I, totum librum manifesto item alloquitur (Epist. I. 20, 1):

> Vertumnum Ianumque, *liber,* spectare videris.

Similiter Ovidius libros I et II Fastorum concludens:

> — Sed iam prima mei pars est exacta laboris,
> Cumque suo finem mense *libellus* habet.
> — Venimus in portum, *libro* cum mense peracto:
> Naviget hinc alia iam mihi linter aqua.

Atqui hoc praecipue animadvertas velim, in Tristibus atque in libris Ex Ponto (in quibus singulae singulos ad amicos cum elegiae mittantur, absolutum quid suo iure unamquamque efficere utique dicas, magis quam aut elegias Amorum aut Tibulli aut Propertii), siquam, ut crebro evenit, elegiarum, haud totum librum vel opus, intellegat certe poeta, numquam eum uti voce *libello,* verum semper aut *epistula,* aut *littera,* aut *elegis,* aut *carmine,* similibus. Quod casu factum nemo quisquam dixerit, cum voces *libellus* et *libelli* ibidem persaepe occurrant, vi profecto cuiusdam certi et definiti libri, vel plurium librorum, vel denique generatim pro toto opere, vel omnibus poetae operibus. Quoque magis res in aperto sit, aliqua de multis fuit consilium hic praecipua huiusmodi exempla in medium afferre. Ex quibus, ni fallor, clare apparebit, numquam isdem nominibus Ovidium (quem si quemquam alium, suo quodam iure, facere id potuisse memoravimus) singula carmina et libros inter se confudisse (I); commode praeterea potuisse dici a Propertio *tres libellos,* quot in animo haberet amatorios libros ad Cynthiam scribere (II); postremo, eundem ipsum omnino esse usum vocum « *libri, libelli, voluminis, carminis* » et apud Ovidium et apud Propertium.

libri promiscue et *libelli* voces, aut determinate usurpavisse scriptores Latinos pro *volumine*, idest pro quodam carminum numero in unum redactorum; aut indeterminate pro *opere* vel *operibus*, sive unius scriptoris,

---

I *a*) *Littera* quaecumque est toto tibi lecta *libello*,
Est mihi sollicito tempore facta viae.
Trist. I. 11, 1.

b) *Carmina* nam nostris quot te venerantia *libris*,
Indicio possint candidiore legi!
Ib. II, 79.

c) Naso Tomitanae iam non novus incola terrae
Hoc tibi de Getico litore mittit *opus*.
Si vacat, hospitio peregrinos, Brute, *libellos* (1)
Excipe, dumque aliquo, quolibet abde loco . . .
Invenies, quamvis non est miserabilis index,
Non minus hoc illo triste, quod ante dedi.
Rebus idem, titulo differt; et *epistula*, cui sit
Non occultato nomine, missa docet.
Ex P. I. 1, 1 sqq.

d) Quoque magis nostros venia dignere *libellos*,
Haec in procinctu *carmina* facta leges.
Ib. I. 8, 9.

e) Quod sit in his eadem sententia, Brute, *libellis*,
Carmina nescio quem carpere nostra refers . . .
Ipse ego *librorum* video delicta meorum,
Cum sua plus iusto carmina quisque probet . . .
Nec *liber* ut fieret, sed uti sua cuique daretur
Littera, propositum curaque nostra fuit.
Postmodo collectas, utcumque sine ordine, iunxi:
Hoc *opus* electum ne mihi forte putes.
Ib. III. 9, 1 sqq.

f) O! quotiens ego sum *libris* mihi visus in istis
Impius, in nullo quod legerere *loco*.
Ib. IV. 1, 9.

g) *Quod* legis, o vates magnorum maxime regum,
Venit ab intonsis usque, Severe, Getis:
Cuius adhuc nomen nostros tacuisse *libellos*, (2)
Si modo permittis dicere vera, pudet.
Orba tamen numeris cessavit *epistula* numquam
Ire per alternas officiosa vices.
Carmina sola tibi memorem testantia curam
Non data sunt. Quid enim quae facis ipse darem? . . .

---

(1) Intell. libb. Ex P. (cf. sup. *e*). Vel plur. pro sing. Reduplicatio praec. « opus », ut paulo infra (21-22):
Quidquid id est, adiunge meis. Nihil impedit *ortos*
Exule servatis legibus Urbe frui.
(2) I. e. superiores libros Ex P. — Ceterum vid. praec. exemplum.

sive etiam universi cuiusdam populi. Quod autem *libellus* singulum sit *carmen*, nullum certe exemplum afferri posse, atque etiam repugnare rationi videri. —

Mittere ad hunc *carmen*, frondes erat addere silvis:
Haec mihi cunctandi causa, Severe, fuit . . .
Da veniam fasso, studiis quoque frena remisi,
Ducitur et digitis *littera* rara meis.

Ib. IV. 2, 1 sqq.

II *a*) Qui modo Nasonis fueramus quinque *libelli*
Tres sumus: etc.

Am. Epigr. 1-2

b) Sic ego non meritos mecum peritura *libellos* (1)
Imposui rapidis viscera nostra rogis . . .
Hos quoque sex versus, in primi fronte *libelli*
Si praeponendos esse putabis, habe:
« Orba parente suo quicumque *volumina* tangis,
His saltem vestra detur in Urbe locus etc. »

Trist. I. 7, 19 sqq.

c) Neve quibus scribam, possis dubitare, *libellos*, (2)
Quattuor hos versus e *tribus* unus habet . . .

Ib. II. 245-6.

d) *Sex* ego Fastorum scripsi totidemque *libellos*,
Cumque suo finem mense *volumen* habet.

Ib. II. 549-50.

e) Quosque legat versus oculo properante viator,
Grandibus in tituli marmore caede notis . . .
Hoc satis in titulo est. Etenim maiora *libelli* (3)
Et diuturna magis sunt monimenta mihi,
Quos ego confido, quamvis nocuere, daturos
Nomen et auctori tempora longa suo.

Ib. III. 3, 71 sqq.

f) Forsitan exemplo, quia me laesere *libelli*,
Tu quoque sis poenae (?) facta secuta meae.

Ib. III, 7, 27.

g) Est fuga dicta mihi, non est fuga dicta *libellis*,
Qui domini poenam non meruere sui.

Ib. III. 14, 17.

h) *Tres* mihi sunt *nati* contagia nostra secuti . . .
Sunt quoque mutatae *ter quinque volumina* formae . . .
Hoc quoque nescio quid (4) nostris appone *libellis*.

Ib. III. 14, 17, 19, 25.

i) Hunc quoque de Getico, nostri studiose, *libellum*
Litore praemissis *quattuor* adde meis.

Ib, V. 1, 1-2.

(1) Metamorphoseon.
(2) Amorum.
(3) Mirum quam captiose nitatur Rothsteinius (l. c. vol. II. in « Anhang ») ut probet hoc exemplum minime in illum Propertii locum congruere.
(4) Tristia.

Ad *tres* vero numerum transeuntes, si ex Fleischmanno quaeramus (nam Nobbii interpretationem Hertzbergius iam plane refellit) cur *sacer* numerus hoc loco interpretandus sibi sit visus, ad id quae sequuntur ille adfert exempla:

« *Ter*que focum circa laneus orbis eat. »
(Prop. IV. 6, 6.)

« Duxit in obliquam *ter* sinuata facem. »
(Id. IV. 6, 30.)

« *Ter*que meum tetigit sulfuris igne caput. »
(Id. IV. 8, 86.)

« *Ter* cane, *ter* dictis despue carminibus. »
(Tib. I. 2, 54.)

« Illa sacras pueri sortes *ter* sustulit; illi
Rettulit e *trinis* omina certa puer. »
(Id. I. 3 11.)

« Ipse procuravi, ne possent saeva nocere
Somnia, *ter* sancta deveneranda mola. »
(Id. I. 5, 13.)

« Idem *ter* socios pura circumtulit unda. »
(Verg. Æn. VI. 292.)

« In corpus mortuum, si quis inciderat, *tres* glebas inicere « solebat (cf. Becher, Gallus ed. II., III. 268; Dillenburger, in comment. « ad Hor. od. I. 28. v. 28 sq.) » (1) —

Quae quidem si cum iis conferamus, quibus Nobbius nisus *quosdam* vel *paucos* libros intellegendos duxerat, quaeque Hertzbergii verbis et Fleischmannus reicit: « *tribus verbis* significari *pauca* « *verba*, proverbiali quodam dicendi genere usum docere « communem, *tribus libris paucos libros* nequaquam docere: (2) » nonne huiusmodi argumentum in ipsum Fleischmannum, iure quodam nostro, retorquere videbimur, cum eorum certe nullum, quae is tulit, exemplorum in hanc plane rem sit accommodatum? Quod si apud veteres vulgata esset opinio, Inferorum Deos vita functis sacrificiis piisque donis esse propitiandos, nullum tamen exstat documentum, neque, dicam iterum, ex supra scriptis exemplis id colligi ullo modo potest, hunc morem *ternario* numero fuisse devinctum. Atqui, etiam si ita res esset, quid obstaret quo-

(1) Fleischm. l. c. II p. 28.
(2) Fleischm. l. c. II p. 23 in nota.

minus *tres integros libros*, potius quam *tria carmina* intellegeremus?

Iam vero, quoniam satis est demonstratum nec *libellos* pro singulis *carminibus* interpretandos, nec *tres* ut *paucos*, vel ut *sacrum* numerum accipiendum; estne denique cur *tres* determinate, pro quolibet alio numero, consulto dixerit Propertius? Ad haec satis se respondisse Plessisius putat, commemorans — « quam ordinatum ac diligentem in componendo usque Poeta se praebeat: » — pro quibus minime rem explicantibus, rem ipsam, quando aliae defecissent rationes, vellem potius V. D. considerasset, tribus reapse libris opus Propertii amatorium absolutum esse.

Sed unum prae omnibus in hoc premendum mihi videtur, Umbrum Callimachum cum ingenio praestantissimum suumque omnino in inveniendo atque in exprimendis animi sensibus, tum plurimum fuisse in lectione ceterorum omnium scriptorum Latinorum, aequalium praesertim temporis, quantumque potuit ad optimorum imitationem se composuisse. De quo, cum nonnulla proferri possint indicia, de librorum numero, uti occasio fert, nobis hic sufficiat tractare. Etenim si excellentium Romanorum poetarum opera spectemus, quibus scriptionum genera iam ipsa, natura sua, certum quendam ambitum non praescriberent, omnia vel I. tantum, vel III. contineri libris fere videbimus. — I. librum, iam ante Propertium ediderat *Catullus:* III. non amplius libris concludere opus lyricum *Horatium* statuisse scimus: III. libros (dempto qui nunc fertur tertius) publicasse *Tibullum* probabilissima assequi possumus coniectura. Post vero Propertium hoc in usum receptum fuisse testatur *Ovidius,* qui, duobus resectis, III. Amorum libros reliquit. Idem III. libros scripsit De Arte Amatoria; I. De Medicaminibus faciei; I. De Remediis Amoris. Neque aliter *Phaedrus* (1) terminum operi (ut ipsius utar verbis) in III. libro statuere destinarat. Idem autem Ovidius, quod magis refert, in iis operibus in quibus eum librorum numerum excessit, in Tristibus, dico, inque Epistulis ex

(1) Cf. ultimum carmen lib. III et primum lib. IV.

Ponto, peractis iam III., excusat se lectoribus ad id materia se coactum: — non enim ingenio, non *arte*, non ad famam, sed ad quietem potius vel ad officium ea composuisse; tumque *modum* futurum esse lacrimosi carminis, cum suae modus esset fortunae (cf. Trist. IV. I, 1-4. V. 1, 27 seqq. — Ex P. III. 9, 51 seqq.) (1) — Atqui Propertium, I. quem nunc habemus, cum unicum ab initio (μονόβιβλον vocat Martialis) (2) de Cynthia librum emisisse compertum sit, non longe profecto a vero nos puto aberraturos, id conicientes eum egisse ad Catullum cum respexisset: ad *tres* autem libros amatorium opus provehendum (praeter Tibullianum exemplar) exemplo praesertim Horatii permotum fuisse, cuius quidem III. liber solemni illo epilogo terminatus (cf. Hor. Carm. III. 30, 2. — Prop. III. 1, 57.) eadem tunc perfectus tempestate esset, qua Propertius II. librum scribere instituisset (3).

Quod vero mirum Fleischmanno videatur, (4) fuisse qui locutionem *si tres sint* ita sit interpretatus, velut si *desiderium* tantum eo loco ad III. usque librum carmina amatoria producendi poeta significasset; cum nihil tamen ipse adferat adversus hanc interpretationem: liceat nobis itidem mirari, quod absolute vir doctus ita iudicaverit, cum, vel grammatica habita ratione, multo magis sententiam ab eo impugnatam hic tueri parati sumus. Hoc idem mecum sensisse, praeter Beroaldum, Passeratium, Paldamum, extremis hisce temporibus, doct. Faltinium videmus, (5) qui rem diligentius quam ceteri est persecutus: idemque, ut rationi magis consentaneum verique similius, Plessisius quoque defendit (6).

---

(1) Quanti hic facienda optimorum exemplarium imitatio, ad librorum numerum quod attinet, praeter usum communem nostrorum etiam temporum, eximium documentum mihi videtur Sidonii Apollinaris, qui, quamquam genus ab eo pertractatum minus admodum hoc patiebatur, IX epistularum librum VIII superioribus adponere permotum fuisse fatetur (Ep. IX, 1.) *Plinii orbitas secutum.*

(2) Mart. Epig. XIV Apophor. CLXXXIX.

(3) Eidem anno (730 ab u. c.) adsignant critici Horatii carmen postremum libri III (cf. Müller. edit. in tab. chron.) et II Propertii librum (cf. Brandt. l. c.)

(4) l. c. II p. 22-23.

(5) Prof. Doct. Faltin: Zur Properzkritik, Eisenberg 1876 p. 19.

(6) l. c. p. 104.

Suae denique interpretationi fauturum confidit Fleischmannus (1), quod, aliis aliorum poetarum ipsiusque Propertii cum hoc collatis locis, quibus, grandiori sono elatioribusque spiritibus, suam in posterum quaesitam meritis gloriam canerent imperituram, ***humilior huic multo sit stilus:*** quem quidem maestissimo, quem examinavimus, flebilique totius carminis sermoni optime accommodatum esse vir doctus non percepit (2).

---

(1) l. c. II p. 25-27.

(2) Iuvat hic in fine vices quaestionis una sub oculos ponere, ordine videlicet temporis, qui post Lachmannum V, quique contra cum codicibus IV elegiarum Propertii libros probaverint:

1816 LACHMANN (1) **V**; 1818 NOBBE (2) **IV**; 1827 JACOB **V**, PALDAM **IV**; 1843-5 HERTZBERG **IV**; 1850 KEIL **V**; 1853 PALEY **V**; 1855 HAUPT **V**; 1870 MÜLLER **V**; 1872 VOIGT (2) **IV**; 1876 FALTIN (3) **IV**; 1878 KNAUTH (4) **V**; 1880 BRANDT (2) **IV**, BAEHRENS **IV**; PALMER **IV**; 1881 SCHARF (4) **V**; 1882 BIRT (4) **V**; 1884 PLESSIS (5) **IV**, MARX (6) **V**; 1887 REISCH (7) **IV**; 1890 TEUFFEL-SCHWABE (8) **V**; 1896 FLEISCHMANN (9) **IV**; 1898 ROTHSTEIN (10) **IV**; 1899 SCHANZ (11) **V**; 1900 GIUSSANI (12) **V**.

Ex quo haec liceat nobis inferre: neque satis firmis argumentis Lachmanni auctoritati adhuc usque obviam itum esse: quod utique fieri nequiverat, cum Nobbii, qui primus Lachmannum refutavit, unusquisque postea, quam excussimus opinionem, haud re ipse penitus inspecta, paucis vel nullis immutatis rebus, secutus sit: neque propterea temere aut intempestive nos quaestionem retractandam suscepisse, praesertim cum Lachmannianam sententiam novissime honori denuo habitam videamus.

(1) Intell. Propertium ab ipso editum. Idem de ceteris, quibus nulla subest adnotatio. Editionum autem elegiarum, si plures sint, neque, de librorum numero quod est, nihil inter se differant, primam posuimus; alii generis vero operum novissimam. — (2) Cf. nr. p. 26 n. 2. — (3) Cf. sup. n. 1. — (4) Cf. nr. p. 26 n. 1. — (5) Cf. nr. p. 4 n. 2. — (6) Cf. nr. p. 50 n. 1. — (7) Cf. nr. p. 53 n. 1. — (8) Geschichte der röm Literatur. V. Aufl. Leipzig. — (9) Cf. nr. p. 23 n. 3. — (10) Cf. nr. p. 53 n. 2. — (11) Geschichte der röm. Literat. II. Aufl. München. — (12) St. Lett. d'It: Letterat. Rom. p. 283, Milano.

QUAESTIO III.

De urbe Propertii natali

Posterior haec de patria Propertii quaestionis editio a priori [1] hoc praecipue differt, quod missam ab hac fecimus totam eam partem (II), quae in illa est contra adversariorum opiniones: quod satis superque sit semel fecisse; praeterea quia tam validis (absit invidia verbo), iisdemque apertis sincerisque argumentis instructi prodire videmur, quibus facile per se quisque repudiet si quae forte ab aliis falso vel captiose prolata reperierit. Necui vero mirum videatur, alio prorsus modo duos hic me Propertii locos explicuisse *(Perusina sepulcra* I. 22, 3: *notos penates* IV. 1, 121), is sciat intra brevissimum tempus, ab incepto (neque consulto) studio, illud opusculum a me iam perfectum esse, omni paene ad hoc destitutum subsidio, cum nondum maxime perspexissem quam arcte Ovidius, praesertim in Amoribus, adhaereat Propertio, ita ut, qui multo fusior Propertio illius stilus est, ad hunc saepius declarandum commode subveniat. Quod autem ampliores huic quam ceteris quaestionibus appositae sint notae, hoc potissimum factum est, quod hanc scribens, una cum criticis alios quoque lectores spectabam, siqui essent futuri, quibus consuetudine ideoque voluntate carentibus ad id genus labores, aut etiam copia vel tempore ipsis consulendi complures libros, id gratum fore certo sciebam. Etiam in hac, maxima libris manu scriptis (scienter quidem)

(1) Vid. nr. p. 1 in nota. Illud opusculum emendatius brevi iterum typis exscribetur et prostabit.

fides habita, Hertzbergii et Baehrentis collatis editionibus [1]; neque, nisi perraro, criticorum vel editorum correctiones relatae sunt, quibus, si omnes una colligas, decem secum discrepantes Propertios conficere queas. Ex duabus partibus tractatio constat. Quarum altera (A) ea referuntur quae certa hac super re omnino habentur. Tres ipsius poetae loci altera (B) enucleantur, quos quantopere, quintum iam saeculum, vexaverint non solum homines patrio amore ducti, verum optima exterorum ingenia (etenim nullus apud nos, tam longo temporis spatio, quaestionem serio suscepit tractandam), nemo est, puto, quin sciat. Ingentes denique gratiae illis mihi sunt agendae, qui sua auctoritate et benevolentia meam priorem opellam cohonestantes, stimulos ad bona studia ita mihi adiunxerunt, I. B. Gandino, dico, (privatis litteris), F. Ramorino (in *V. Urbis* n. II), L. Valmaggi (in *Boll. di Fil. class.* a. VI, n. 4), M. Schanz (in *Gesch. der Röm. Litter.*, Vol. II 1899 P. I. p. 172), G. Tropea (in *Riv. di St. Ant.* etc. 1899 p. 160), G. Mazzatinti (in *Boll. d. R.ª Deput. di St. patria per l'Umbria*, vol. V. p. 181), G. Mondaini (*Riv. di Fil. e d'Istr. class.*, 1899 Fasc. 2.) G. Mazzoni, L. Morandi, A. Franchetti, Fr. Pirotta, V. Ghinassi (privatis litteris), et ceteri omnes si quos forte non compererim [2]. At duo, nominibus omissis, praetereundi mihi non sunt: quorum alter Transalpinus, aut praepropere pervoluto libello, aut nostrae linguae imperitior, meas animadversiones ex adverso penitus interpretatus est; uterque vero pretium, siquod inest, operis, vel, dicam potius, vires argumentorum, infirmat,

---

(1) Editionis Propertii criticae, qua adhuc deficimus, locum recte tenere posse comparationem harum duarum editionum, quae varias codicum lectiones in imis paginis referunt, asseruit Plessisius (« Études crit. sur Prop. et ses él. » Paris 1884 p. 45).

(2) Officii mei ratio postulat ut plurimum Prof. Raph. Marotio Septempedano, nunc Vectonae degenti, debere me profitear, viro Romani Callimachi studiosissimo, eaque loca diligenter vestiganti, quae velut digito a Propertio indicantur, illa, inquam: « *montibus Etruscis* » ubi Gallum Perusia domum versus fugientem aliena manus necatum atque insepultum reliquerat; « *Perusina sepulcra Italiae* » contigua supposito campo Umbriae; « *pulvis Etrusca* » qua poetae praecipue dolendum fuit. Quod certum et exploratum habuit Marotius, id omne mihi liberaliter gratificatus est, gratuito ipse quidem, cum neque Asisinas sit, neque, praeter litterarum commercium post editam priorem opellam, ulla mihi cum eo necessitudo intercedat.

eo potissimum, quod Asisinas ego sim, eadem scilicet in urbe natus, in qua Propertium natum esse contendo. Criticum hoc minime decere, meum non est dicere: id unum istos monere mihi liceat, aequum sane non esse, neque humanum, Viros tam doctos et auctoritate valentes tam leviter (ne dicam iniuste) iudicare de iis qui cum fide studioque prima conentur arma, cum nulla praesertim alia labore studiisque sit via ad vitae cursum sibi ipsis honestandum.

A

En quae de loco Propertii natali pro exploratis habemus:

I. Propertium natum in Umbria:

> *a)* . . . . *Umbria*
> Me genuit terris fertilis uberibus (PROP. I. 22, 9.)
> *b) Umbria* Romani patria Callimachi (ID. IV. 1, 64.)
> *c) Umbria* te notis antiqua penatibus edit (ID. ibid., 121.)

II. Municipem Propertii fuisse, atque genus ab eo duxisse Paullum Passennum poetam, aequalem temporis et amicum Plinii Iunioris:

> *a)* Passennus Paullus, splendidus eques Romanus et inprimis eruditus, scribit elegos. Gentilicium hoc illi: est enim *municeps* Propertii, atque etiam inter *maiores suos* Propertium numerat. (PLIN. Epist. VI, 15.)
>
> *b)* Magna me sollecitudine adfecit Passenni Paulli valetudo, et quidem plurimis iustissimisque de causis. Vir est optimus, honestissimus, nostri amantissimus, praeterea in litteris veteres aemulatur, exprimit, reddit, Propertium in primis, *a quo genus ducit* etc. (ID. Ep. IX, 22.)

III. Asisii, in Umbriae oppido, titulos repertos cum Propertiorum tum Passennorum, item utriusque simul familiae adoptione coniunctarum, neque ullum e ceteris Umbris oppidis, tale quid, nisi commenticium, proferre (1). Hos ex editione E. BORMANNI hic

(1) Spectant postrema haec verba ad inscriptiones Hispelli:

L · COMINIVS · L · F · LEM

SEXT · AVREL
PROPERT
SEX · F · LEM

exscribimus (Corpus inscription. Latin., Vol. XI P. II « Asisium ») [1]:

1. [2]
Borm. 5389

AGER · EMPS · ET
TERMNAS · OHT
C · V · VISTINIE · NER · T · BABR
MARONATEI
VOIS · NER · PROPARTIE
T · V · VOISIENER
SACRE · STAHV

2.
B. 5406

RONI · CENSVRAR
ET · TITINO PETRONIA
CVCO C · PROPERTIO CLISO
AMENTIS ARBI
PETRONIANVS AE
VN . . . ET

atque Ameriae:

1.

DIS MANIBVS
L · AVRELIO PROPER
TIO · L · F . . .
. . . . AED
IIII · VIR · I · D · ITER
QVIN . . . .
OB · DEDIC . . . . DED
. . . H - S · CN
L · D · D · D

2.

A · PROPERT

quas, praeter cetera (cf. M. Haupt, Opusc. varia, Vol. I p. 280-6: « De Prop. poetae nominibus »), fictas demonstrat gentilicium *Aurelium,* aliquot recentioris aevi codicibus falso prolatum, quod forte litteratulus amanuensis, quae uno consensu criticorum, post Haupt., sententia est, ab *Aurelio Prudentio* est mutuatus.

(1) Hanc operis partem nondum evulgatam liberaliter mihi permisit vir doctissimus, cum per proximas ferias paschales Asisium, titulos novissime repertos collatum, ipse se contulit. Eorum, Mommseni scidulis usus, plerosque iam ediderat Mauritius Hauptius (l. c.), cuius haec in primis nostra interest verba referre: « Visendae prae« cipue [ex inscriptionibus Prop.] quae vel Asisii vel ad Asisium sunt repertae: « etenim hae declarant Asisium urbem natalem Propertii fuisse. »

(2) *a)* Vetustissima haec semiumbra inscriptio ita a Büchelero in Latinum vertitur (Borm. l. c.): Ager emptus et terminatus auct. Vistinii V. f. Ner. Babrii T. f., maronatu [1] Vois Propertii Ner. f. T. Voisieni V. f.; sacrum sto.

Cf. A. Fabretti: Di una nuova iscrizione etrusca trovata a Fossato di Vico, Torino, 1859: p. 7.

b) « PROPARTIE = *Propertii* (gen. sing.)... cognomen umbr.;... antiquior « forma pro PROPARTIES vel PROPARTIER... invenitur in iscript. Asisin. » — A. Fabretti, Corpus inscription. Ital.; Aug. Taur. 1867, vol. II. p. 1465.

(1) Genus magistr. — Curatione: Aufrecht et Kirchhoff, Huschke.

3.

B. 5501

NONIAE

PRIVATAE

C · PROPERTIVS

4.

B. 5376

C · PROPERTIVS

HAEGIVS

MINERVAE

D D

5.

B. 5515

PRO . . . .

L · L · T . . .

V · A · X . . .

D · A . . .

C . . . .

6.

B. 5516

PROPE . . . SER . . .

7.

B. 5517

C · PROPERTIVS

C F

8.

B. 5518

C · PROPERTIVS

CRESCENS · ET · LIBER

BENE · MERENT

9.

B. 5519

C · PROPERTIVS · C · L

EPAENVS

CAETRONIA · Ɔ · L

AVRA

10.

B. 5520

T · PROPERTIVS · T · F

GRATVS

11.

B. 5521

C · PROPERTIVS

HILARVS

12.

B. 5522

PROPERTIA · SEX · L · TERTIA

13. (1)

B. 5405

C · PASSENNO

C · F · SERG

PAVLLO

PROPERTIO

BLAESO

14. (2)

. . CILLAE

C · PASSENNVS

FORTVNATVS

B M

---

c) « Se perdurò il dubbio, che Properzio fosse d'Assisi, il gentilizio *Propartie*... « che chiaramente si legge nella iscrizione vale a togliere la incertezza intorno alla « patria dell'elegante poeta latino. » — Id., Di una nuova iscriz. etc. p. 15.

(1) *a)* « [C] Passennus Paullus [Propertius Blaesus] [plene nomina habet titulus « Asisinus], Asisinus, eques Romanus. Inter maiores Propertium poetam numerat... » — Th. Mommsen., in Indice nomin. ad Epist. Plinii cur. Keil., Lipsiae 1870.

b) « Patriam poetae Propertii, de qua tantum litigatum est, fuisse Asisium satis « probat titulus N. 5405 [i. e. Passenni Paulli], qui vir, secundum verba Plinii, etc. » — Bormann., l. c. pag. 785.

(2) Posteriorem hanc Passennorum inscriptionem non novit Hauptius, neque Bormanni quidem *Corpus*, cum inspexi, etiamtum complectebatur; quae recens omnino eodem effossa est loco quo tribus ante saeculis prior traditur.

B

I

Qualis et unde genus, qui sint mihi, Tulle, Penates,
  Quaeris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra,
  Italiae duris funera temporibus,
Cum Romana suos egit discordia cives
  (Sic mihi praecipue, pulvis Etrusca, dolor:
Tu proiecta mei perpessa es membra propinqui,
  Tu nullo miseri contegis ossa solo),
Proxima supposito contingens Umbria campo
  Me genuit terris fertilis uberibus.

PROP. I. 22

Tria haec docere lectorem sibi proposuit poeta extrema el. lib. I: *qualis ipse genere esset, unde eius genus esset, qui essent Penates:* h. e. *qua gente, qua e regione, quaque in urbe ortus esset:* quod vero sermone perquam presso, more suo, ita facit, ut ni alii ipsius poetae succurrerent loci huic lucem afferentes, non ita plane aut levi opera quis huius arriperet sententiam.

Umber igitur se genere profitetur; ex ea vero *parte* Umbriae editum quae *proxima* esset Perusinis Romanorum sepulcris (i. e. bello civili inter Antonium et Octavianum occisorum), eaque demum in urbe quae *campo supposito contingeret* sepulcra, loco *fertili uberibus terris.* (1)

Tria haec eadem clarius et fusius alias, ut tempori videbimus,

(1) At vereor ne nimiae huiusmodi interpretationem subtilitatis quis iure insimulet. Quamquam enim accuratissimum in scribendo Propertium usque novimus, dubitari tamen hic posse videtur num ad singula quae primo versu rogat Tullus, singulis a poeta extremo disticho responsum sit: quem potius putandum est nihil ibi fortasse de urbe ipsa natali tetigisse; hanc utique ob causam, quod cum in *proxima Umbria* sitam et adversus *Perusina sepulcra* spectantem docuisset, minime ambigere de ea posset Tullus cum unum tantum, ut postea dicemus, de Umbris oppidis ex eo loco prospiceretur.

exposuit poeta. Sic et Ovidius, praeter universam populi regionem [1] urbemque natalem [2], *domesticam* quoque *regionem* [3] celebravit: praeter quam quod, cum Ovidius territorium tantum Sulmonis intellegeret, totam Propertius eam complexus est planitiem quae fertilitate, specie atque amplitudine nunc quoque, *Umbrae vallis* nomine, in nobilissimis Italiae regionibus habetur, apud veteres autem pluribus de causis clarior fuit, ut suo loco dicetur. Oportet praeterea animadvertamus, Umbriam ab Etruria proxime Perusiam Tiberi fluvio, Propertii temporibus, finitam, usque ad Ariminum pertinuisse, ita ut Apenninus mons in duas eam partiretur: quare non modo non supervacaneum, immo necessarium videbatur utra quis parte oriundus esset declarare, ut Propertium fecisse vidimus.

Perusina patriae sepulcra etc. — Ex rebus quae inter Propertii interpretes in controversia adhuc versantur, una haec est quae, propter immutatam vetustate locorum faciem, plerosque diu doctorum

---

(1) *a)* Hoc quoque composui *Paelignis* natus aquosis.
(Am. II. 1, 1)

b) . . . . . . *Paeligni* ruris alumnus.
(Ib. III. 15, 3)

c) *Paelignae* dicar gloria gentis ego.
(Ib. ib., 8)

d) Gens mea *Paeligni* . . .
(Ex P. IV. 14, 49)

(2) *a)* *Sulmo* mihi patria est, gelidis uberrimus undis.
(Trist. IV. 10, 3)

b) Atque aliquis spectans hospes *Sulmonis* aquosi
Moenia, quae campi iugera pauca tenent,
— Quae tantum — dicat — potuistis ferre poetam,
Quantulacumque estis, vos ego magna voco —
(Am. III. 15, 16 seqq.)

(3) *a)* *Pars* [1] me Sulmo tenet Paeligni *tertia* ruris,
Parva, sed inriguis *ora* salubris aquis.
(Am. II. 16, 1-2)

b) Non ego Paelignos videor celebrare salubres,
Non ego natalem *rura paterna* locum.
(Ib. ib., 37-8)

c) Gens mea Paeligni *regioque domestica* Sulmo.
(Ex P. IV. 14, 49)

(1) cf. Serv. ad Verg. Georg. II. 140: « Clitumnus fluvius est in *Mevania* quae est *pars* Umbriae *partis* Tusciae »: ubi Mevania urbis nomine omnis quoque circa ager manifesto intellegitur.

hominum falsos habuit: verum omnis quidem dubitatio, si studiosius in rem esset inquisitum, dimidio saltem ante saeculo, plane hinc quoque esset sublata. (1) — Modicus enim collis sub radicibus montium Perusinorum, III mill. passuum longe circiter a Perusia, consurgit (2), quocum revera proxima Umbriae, uno Tiberi interiecto, planities contingens est; unde siquis ortum solis spectaverit, hanc tantum extremam Umbrae regionis partem videat, adversum autem Subasium montem, cuius clivo oppidum Asisium applicatum. Hoc vero in colle ita multa, ab exeunte iam saeculo XVIII, praesertim sexagesimo ab hinc anno, in lucem vetustissima prodierunt sepulcra, inter quae perinsigne illud Volumniorum monumentum, ut nulli prorsus cunctandum videatur quin, usque a Perusiae primordiis, pubblicus is locus funeribus fuerit destinatus. Quo quidem minime a vero abhorrere videtur omnes utriusque partis milites bello civili caesos delatos fuisse, ita sane ut peropportune de iis mentio fieret a Propertio, tanta etiamtum in memoria omnium haerente clade, maxime vero cum praecipuum ex eo bello dolorem se percepisse poeta fateatur, quod sui propinqui militis qui ex hostibus integer evasisset at *ignotis* inde *manibus* super Etruscis montibus esset in-

---

(1) Infra scriptis exemplis primo obtutu olim falsus:

> Troia (nefas) *commune sepulcrum* Asiae Europaeque,
> Troia virùm et virtutum omnium acerba cinis
> (Catull. c. 68, 69)
>
> Nam quoties Mutinam aut *civilia busta* Philippos,
> Aut canerem etc. (Prop. II. 1, 27):

levius rem attingens, cùm plerisque non aliter interpretatus eram ac si poeta dixisset *Perusia patriae sepulcrum*, vel *civilia busta Perusia.* Verum inter hoc illaque exempla nonnihil interesse videtur, quod hic adiectivo usus sit poeta, neque dubitare potuerit quin Perusiam clarissimam urbem *(Si tibi sunt nota* etc.) lectorum quisquam nosceret, nedum Tullus praetor quem peregre perpetuo abeuntem poeta nobis alias exhibet (I. 6 - III. 22).

(2) « Un certo spazio di terreno fuori della porta di S. Pietro distante circa due « miglia dalla città di Perugia, situato fra le parrocchie suburbane di Piscille e di « Pieve di Campo ed il Palazzone, Villa dei Conti Baglioni etc. » — C.te G. C. CONESTABILE: Di G. B. Vermiglioli, Dei Monumenti di Perugia etrusca e romana etc. Perugia, 1856. P. II, p. 4.

terfectus, *nullo miseri solo dispersa ossa contegerentur.* [1] — Quod autem devius hodie ille sit clivus, neque nisi per angustas semitas adeundus, non ideo ita olim fuisse plane nobis testatur veterum usus qui secundum principales vias sepulcra disponerent [2], item quod ea rectissimum idemque brevissimum ad Perusiam ab Umbra valle accedentibus iter esset. Per quam ergo viam facile ivisse aut esse iturum opinari poterat iure poeta Tullum amicum, quem, ipso Propertio teste, peregrinationum perquam studiosum fuisse ante memoravimus [3]. Quae cum ita sint, cumque ex duobus, praeter hunc, poetae locis, quos sumus excussuri, certius; certissime vero ex aliis, quae vidimus, indiciis Asisium urbs esse Propertii natalis declaretur, in quam urbem ea, qua hic usus est poeta, circumlocutio aptissime quadrat: nostro denique iure densas etiamnum hinc quoque nebulas prorsus dispulsas confidere posse putamus [4].

---

(1) Huic iam totam superiorem el. (I. 21) dedicaverat poeta, etiam nomen proprium Galli ibi referens. Cuius cum iterum, post memorata *patriae sepulcra*, in hac fiat mentio, potissimum inde argumentum mihi videtur sumendum, ut de sepulcris proprie vereque locutum eo loco Propertium nobis utique persuasum sit, qui una cum ceteris *tumulo contectis* propinquum *insepultum*, velut ex contrario, in mentem sibi redegerit.

(2) « Possiamo credere che la via che da quella parte conduceva alla città non sia « stata gran fatto lontana dalla scoperta necropoli, essendochè questi luoghi comune- « mente stabilivansi lungo le pubbliche vie che conducevano alla città etc. » — C.te G. C. Conestabile, l. c. p. 8.

(3) cf: nr. p. praec. n. 1, in fine.

(4) Egregius, quem ante memoravimus, R. Marotius, post nonnullas inter nos commutatas epistulas, auctor fuit potissimus ut, quam supra exposui, mihi quoque interpretationem suaderem, ad loca praesertim ipsum inducens me visenda ubi vetustissima Perusinorum fuere sepulcra, quorum, fatebor enim, ignarus ad paulo superiorem memoriam paene fui; socio itineris adhibito Francisco Morettio, pictore eximio, ante alios vitreis fenestris pingendis perito. Is cum in paucis omnino Perusinorum exstet, qui effossos tumulos eorumque dispositionem sub oculos habuerit, ibi tam large liberaliterque cryptarum situs memor lineis descripsit, ut quam illi habeo gratiam, palam hic verbis amplissimis testatam voluerim. — Operae pretium mihi videtur itemque grati animi indicium, ex multis Marotii litteris eas in medium proferre, quibus, velut in angustum coacta omnia comprehenduntur, quae argumentum fuere diutinae inter nos concertationis; ipsumque dare itineris ducem (adeo singula in litteris distinguuntur) sicui loca recognoscere libeat.

« Perugia, 14 Settembre 1899 . . . . . Leggendo testè nel Giornale « Arcadico di Roma [1] un articolo, ove si nota « *la copia e la celebrità delle tombe « perugine, che vennero pure ricordate da Properzio nell'elegia XXII,* » mi è tornato

(1) « Tomo XCI, pag. 178.»

Notatu praeterea dignissimum videtur, etiam Aligherium in Comoedia, cum Asisium circumlocutione indicare vellet, *ubertatem* loci (cf. Prop.: *terris fertilis uberibus)*, itemque *Perusiam* ei finitimam memorasse:

« alla mente un pensiero che avevo ripudiato per non dire, così a vanvera, una ca-
« stroneria, quando a Lei manifestai il mio parere intorno alla patria di Properzio.
« Deve sapere che, quando fui la prima volta all'ipogeo della famiglia Volunnia,
« vedendo, nel poggio che sorge sopra, altre piccole cave o grotte con urne e ceneri
« dentro, dissi fra me: « Questo era un vasto *coemeterium*, un sepolcreto comune.
« Situato allato alla strada, che dal piano umbro conduceva su per questi colli a
« Perugia, egli è senz'altro il sepolcreto celebre, che Properzio accennava a Tullo,
« d'onde volle presentargli Assisi sua patria, senza bisogno di nominarla. » Così pensai
« allora, e così torno a credere oggi che m'accorgo di non esser solo a fare tal con-
« gettura. Della vastità del cemeterio fanno fede « *le scoperte fatte in altri tempi nello*
« *stesso colle di molte urne e camere rovinate e guaste* » e « *il necropolio della fa-*
« *miglia Pomponia discoperto sul declinare del secolo XVIII.* » (1) Dopo il 1840
« hanno trovato in cima al poggio anche vestigi di sepolture cristiane, rovine di ca-
« mere coi loro colombari.
« Le vie, che dai sepolcri menavano a Perugia, si ritrovano a un dipresso nelle
« viottole dei contadini, i quali non sogliono scostarsi dalle pedate dei vecchi loro,
« e all'usanza degli antichi amano le più corte quantunque meno adagiate. Una molto
« ritta doveva salire fra Piscille e il fosso di S. Pietro fino a guadagnare l'altezza
« di S. Costanzo: indi filando verso là dove oggi è il borgo di S. Pietro, imboccare
« a porta Marzia *(porta Martis)* dentro la cerchia antica di Perugia. Un'altra meno
« erta dal colle dei sepolcri calando al ponte, dove s'incontrano i due fossi di S. Pietro
« e di S. Margherita, poteva rimontare per quella oggi detta di S. Girolamo alla volta
« della porta medesima; o dall'altra mano salir su costa costa al nuovo Manicomio:
« continuando poi per Fontenovo, Carmine, via *antica* e via S. Fiorenzo metter capo
« a porta Sole *(porta Solis)*, per la quale da quel lato si entrava nella città etrusca.
« Si maraviglierà Lei del tagliare, ch'io fo, così maestrevolmente le strade. Come po-
« trebbe altrimenti *salir chi non è augello* a Perugia, dov'essa sta a cavaliere del
« profondo burrone di S. Margherita? I sepolcri poi stavano, e dovevano stare lungo
« la strada maestra *(secundum viam)* al dire di Varrone, (2) come ricordo ai vian-
« danti d'esser mortali, e per questa via sarebbe passato Tullio capitando a Perugia.
« Scriveva dunque il Poeta all'amico suo, che il richiedeva della sua terra na-
« tale: « Chiunque dalla necropoli perugina guarda a quel tratto dell'Umbria che
« confina con essa necropoli, se ha un par d'occhi in fronte, vedrà là dirimpetto cam-
« peggiare la patria mia. » Nè punto enimmatico è questo parlare e ci porta a questa
« rigorosissima interpretazione: « *Umbria proxime contingens Perusina sepulcra cam-*
« *po illis* (3) *supposito:* » « *L'Umbria, quella che tocca i sepolcri perugini col*
« *piano ad essi sottostante.* »

(1) « Monumenti della necropoli del Palazzone, circostanti al sepolcro dei Volunni, del conte Giancarlo Conestabile — Perugia, Bartelli, 1856. »
(2) « Conestabile, opera citata, pag. 8. »
(3) « Campo supposito *illis sepulcris*, non già *sibi*, all'Umbria stessa. »

Intra Topino e l'acqua che discende
Del colle eletto dal beato Ubaldo,
Fertile costa ([1]) d'alto monte pende;
Onde *Perugia* sente freddo e caldo
Da porta Sole etc. (Par. XI. 43 seqq.)

Denique, ut colligamus, postrema lib. I elegia apertissime liquet Propertium de *patria sua* tantum lectores docere voluisse: etenim cum

---

« Già l'interpretazione di molti: « *Ea pars Umbriae, quae proxime contingit* « *Perusiam campo sibi supposito etc.* » era stata giustamente modificata da Lei col « tradurre « *le alture di Perugia* » in cambio di « *Perusiam* », ed io, d'accordo « con Lei, tiravo « *Perusiam* » a « *Perusinos clivos* » senso più largo, richiesto dalle « condizioni locali che mi obbligavano a contemplar l'Umbria da Pieve di Campo, « poggio poco distante da quello dei sepolcri. Perugia infatti stando in cima d'un « monte, dal quale si scopre non solo Assisi, ma Bettona e, benchè molto indietro, « Spello, Trevi e Montefalco, non risponde all'intenzione di Properzio, che Tullo guar- « dando di lassù dovesse senza fallo imberciar là dov'era la città innominata. Perugia « inoltre non *confina prossimamente col piano umbro*, ma se ne dilunga per cinque « chilometri. Ora trovando noi uno dei detti poggi *celebre* pel numero degl'ipogei « grandi e piccoli ivi scavati, *veri* sepolcri perugini, diremo che Properzio non abbia « voluto parlare *propriamente* di questo? Per fare che Tullo si trovasse a vista della « sola Assisi, egli doveva mostrargliela da un luogo più basso, qual'è il poggio della « necropoli, *contiguo* veramente al piano dell'Umbria. ([1]) Ivi l'orizzonte meno si al- « larga, terminato (come a Pieve di Campo) dalla collina di Miralduolo e Colle-Strada « a destra, dai colli lungo il Chiagio a sinistra, e dal Subasio di contro, che chiude « la scena. Altrimenti Tullo andrebbe ancora cercando incerto e sospeso la patria del « Poeta amico, come la cerca a' di nostri chiunque non fa capo ai sepolcri perugini « (d'onde Properzio ci chiama a mirare Assisi) sotterrati anch'essi dal tempo, che « non perdona manco ai sepolcri.

« Bello, non nego, e poetico è il rassomigliare, che noi facciamo, Perugia ad un « sepolcro della patria, ad una tomba dell'Italia, o vogliam dire, della Repubblica « Romano-italica, perchè, assediata da Ottaviano, vi perirono tra di fame, di ferro e « di fuoco i patriotti, che tenevano con L. Antonio: « Si nota tibi est *Perusia, se-* « *pulcrum patriae, funus Italiae etc.* » Con tutto ció non ripugna al buon senso che « il Poeta, anzichè la città dei vivi, abbia additato la città bassa dei morti, la ne- « cropoli, deposito comune, ove per fato avverso avevano di certo lasciato le ceneri

(1) « Il lembo di questo piano tocca e non tocca il sepolcreto sovrastante: ci tramezza il Tevere. »

(1) *Collis* per synecdochen intellegendus; qui vero aliter hanc vocem ibi interpretantur, obscuriorem eum Aligherii locum reddunt, iam aliis de causis vexatissimum. Continuatus enim et iunctus radicibus montis Subasii fertilis collis est (Aligh: Fertile *costa* d'alto monte pende), cuius in mediis fere lateribus, ubi clivi mollior ascensus (Id: In quella parte là dov'essa *frange* Più sua rattezza) Asisium consurgit. Cf: « Nel « facile declivio d'un colle, che fa parte della base occidentale del monte Subasio, si « distende da oriente ad occidente la città di Assisi. » Alf. Brizi: Della rocca di Assisi, Assisi 1898, p. 1.

genus primi versus absolute sit etiam origo unius vel quarundam familiarum, item *penates* intellegi possint pro una domo vel familia (quomodo eundem Propertium alibi videbimus intellexisse), at omnem hic dubitationem eximet ultimum distichum. In quo tribus his respondere debet poeta: quae *regio,* quae *pars* huius natalem urbem contineat, quae denique sit *urbs* natalis; quorum autem cum duobus prioribus aperte satis fecerit, circuitione usus est in posteriori, non ita valde tamen intellectu difficili (ni quis forte cavilletur), etiam si aliis indiciis aliisve egeremus argumentis.

« e l'ossa molti repubblicani non di Perugia solo, ma di Roma e d'Italia, ed abbia « voluto dire: « Si nota tibi sunt *sepulcra* patriae, *funera* Italiae *ad* ovvero *apud* « *Perusiam* etc. » Tutto considerato, io così credo. A dire il vero, questa notizia to« pografica leva ogni oscurità ed incertezza dall'animo dei lettori: questo è il dato « che mancava a risolvere il problema eterno senza difficoltà anche nella sola elegia « ventesima seconda, non tenendo conto degli altri due passi.

« Quanto all'affetto che traspira dai versi properziani, non se ne perde punto. « Che se Perugia alla fantasia del Poeta poteva sembrare una tomba di amara rimem« branza per quello stuolo di liberi cittadini sopraffatti ed oppressi dalla prepotenza « di un grande; più acerba assai gli doveva tornare la vista del gran cemeterio, « ombrato da funerei cipressi, ove poc'anzi ardevano i roghi di tanti cari amici, ove « erano sepolte le loro ceneri, ove erravano i Mani caldi ancora d'amor di patria e « libertà; la vista di quella terra etrusca, che sopra agli altri, a lui, per l'assassinio « di Gallo (?) suo congiunto, rimasto insepolto in quelle vicinanze, era causa di vivo « rammarico:

« *Sic mihi praecipue, pulvis Etrusca, dolor.* »

« Fin dalle prime letture di Properzio, « *Perusina sepulcra* » erano per me « *se*« *polcri di Perugia* » sebbene pensassi che a' giorni nostri non restasse pur l'ombra « di loro. Perchè io non convenissi coi più nello spiegare questo passo e non con« venga ancora, nol saprei dire: trattasi di minuzie sfuggevoli, di sfumature, e chi « troppo si assottiglia, si scavezza. Tuttavia mi pare che « *Perusina sepulcra* » non « esprima identità come fa « *Perusia* » coll'apposto « *sepulcrum.* » Già col singo« lare « *Perusia* » non consuona il plurale « *sepulcra* » che è aggregato di sepolcri: « inoltre « *Perusina* » è aggettivo possessivo, simile a « *meus, tuus, humanus, divinus,* « *proprio di me, di te, dell'uomo, di Dio* » eguale al genitivo possessivo « *Perusiae,* « *di Perugia:* » insomma non mi pare un dire equivalente a « *Troia, commune* « *sepulcrum,* nè a « *civilia busta, Philippos.* » Veri sepolcri mi stavano in capo. Pensi « che, quando venuto qua, ci trovai davvero i sepolcri, mi parve di scoprir l'America, « compiacendomi di ciò che era probabile, come se fosse certo. Gli occhi ultimamente « m'hanno accertato ch'io non vaneggiava, e posso oggi affermare esser questa la « posta sicura data dal Poeta a Tullo e a tutti i posteri curiosi per coglier *de tumulo* « *celebri* la veduta particolare della sua patria. Dell'oscurità dei versi non siamo in « colpa noi, nè Properzio, ma il tempo che ci ha involato il pubblico monumento pe« rugino, ed oscurata la sua celebrità. »

II

Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua,
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.
Scandentes quisquis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros aestimet ille meo.

PROP. IV. 1, 61 seqq.

Nemini certe dubium erit quin altero hoc loco, duobus postremis versibus, de urbe sua natali locutus sit Propertius: [1] quod ita modo is egit ut, quamquam circumlocutione rursus de ea tetigit, aliquid tamen memoraverit quod graphice eam depingeret, atque a ceteris omnibus vicinis urbibus plane discriminaret. — Heroica, inquit, alii scribant poemata: laetis ego versibus gloriam quaero; ut gaudeat Umbria, patria mea, Romanum Callimachum me vocitatum; et quisquis de Umbra valle *urbem* [2] suspiciat *scandentem* in collem, [3] ille tanti hanc urbem faciat quanti est ingenium meum. —

---

(1) Cf: *Paelignae* dicar gloria gentis ego...
Atque aliquis spectans hospes *Sulmonis* aquosi
Moenia quae campi iugera pauca tenent,
« Quae tantum » dicat « potuistis ferre poetam,
Quantulacumque estis, vos ego magna voco. »
(Ov. Am. III. 15, 8, 11-14)

(2) *Arces-muros* duo eadem hic sunt, figurate utraque pro *urbe.* Loco simili (IV. 1, 125-6), de quo iam iam erit sermo, utroque in versu est *murus.* Ceterum frequens apud nostrum usus est altero in distichi versu, quadam velut vi, locutionem alterius geminandi, aut eisdem ipsis verbis, quod crebrius fit (I. 3, 25-26, 31-32; 11, 28-29; II. 24, 36-37; 26, 45-46; 32, 53-54; 34, 85-86; IV. 1. 63-64; 9, 67-68), aut verbis cognominatis sicut hic, et, praeter hunc locum, in I. 22, 3-4.

(3) Sunt qui haec verba ita ordinent: *quisquis cernet arces scandentes de vallibus,* perinde atque ageretur de urbe *e planitie paulatim in clivum ascendente:* cui interpretationi, praeter quam quod alia, quae mox examinabimus, eiusdem poetae verba adversentur *(consurgit vertice murus),* grammatica obstat quoque ratio, cum proprie particula *de* utantur optimi scriptores motum ex alto deorsum significantes. Cf. etiam:

Quid igitur est *urbs scandens?* — *Altam excelsam editam* explicavit Forcellinius; etenim ex omnibus Latinis scriptoribus solus Propertius hoc bis usus est adiectivo, utroque loco de urbe sua patria cum loqueretur. Verum cum tot essent oppida in Umbris montibus exaedificata, in quodnam potius, si aures Forcellinio praebendae, se convertisset venerabundus viator? Ne multi simus, siquis animum advertat, primo cum aliquid ostendere velimus tacitum rei nomen praetereuntes, huius aliquod insigne proferre necesse esse, quo a ceteris similibus illud discernatur; deinde diligentissimum in descriptionibus Propertium esse ut suas cuique notas verissime semper adpingat, cuiusmodi aliud conspicuum exemplum videre brevi licebit; postremo, ut iterum dicam, neminem praeter Propertium adhibuisse adiectivum *scandens,* idque bis de urbe tantum natali cum ageret: ex his omnibus optimo mihi iure statui posse videtur, poetam illud *scandens* sufficere putasse ad urbem suam facile dignoscendam: neque iniuria, si rem recte perpendamus.

Etenim qui ex meis lectoribus Asisium viderunt, exaedificatum hoc esse illos non fugerit transverse dimidio in colle, (1) ita ut domus rectis fere ordinibus, super alium alio, dispositae sint, atque scalae velut speciem exhibeant. Quod ita magis esse debuit antiquis poetae temporibus, cum quae modo urbs orientem occidentemque versus recentioris aevi bracchia porrigit, abessent, ipsa contra urbs ad collis verticem propius quam hodie accederet (2), maximeque autem inte-

---

Come chi d'Appennin varcato il dorso
Presso Fuligno, *per la culta valle*
Cui rompe il monte di Spoleto il corso,
Prende l'aperto e dilettoso calle,
Se il guardo lieto in sulla manca scorso
Leva d'un sasso alle scoscese spalle,
Bianco, nudato d'ogni fior, d'ogni erba,
Vede cosa onde poi memoria serba,
Di Trevi la città etc.

(G. Leop. Paralip. III. 7-8)

(1) Cf. nr. p. 73 n. 1.

(2) Ex domesticis historiis haud dubie id colligi potest, item e nonnullis veterum edificiorum vestigiis, quibus illustrandis operam scio dantem Alph. Britium archit. clar., illum ipsum qui opus doctissimum de Asisii arce biennio ante edidit in lucem (Cf. not. prec.).

gri starent qui ad domorum, quos diximus, ordines firmandos praealti muri constructi erant, quorum adhuc conspiciuntur reliquiae. (1)

Nunc, quoniam *Scandere* (a quo etiam *Scala*) proprie est *per gradus consurgere*, quae unquam aptior vox ad effingendam poetae urbem, cuius nulla inter vicinas esset similis? — *Scandens* ergo urbs est

---

« . . . prima che la città si estendesse nelle *pendici* . . ., il che seguì nei *tempi* « *bassi* etc. » ANTOLINI GIOV. Archit. Il tempio di Minerva in Assisi, Milano 2. ediz. 1828. p. 4.

(1) *a)* « Prisca Italiae oppida summis montibus inaedificata his ipsis natura va- « lidis pro moenibus utebantur, quum loca ascensu dubia arte praeruptiora essent red- « dita, humiliora molibus exaequata et propugnaculis cincta, *ea denique, quae eminente* « *cacumine ruinam minitarentur, substructionibus firmata.* De quo cf. Niebhur Hist. « Rom. T. III, p. 461. seqq. et Bunsen, in descriptione Urbis Romae T. I, p. 136. « p. 617. seqq. T. III, p. 12 et 13. » HERTZBERG. Quaestiones Propertianae: Halis, 1843, p. 6.

b) « *I grandi muri* di travertino di opera riquadrata, e ben commessi, meritano « di essere veduti:... *servivano a reggere e contrastar le spinte dei terrapieni*... » ANTOLINI GIOV. op. c. p. 4.

« . . . a sostenere i fabbricati occorsero a luogo a luogo delle *sostruzioni di mura,* « onde fortificare i piani su de' quali venivano innalzati, ed opporre una valida resi- « stenza alla spinta delle terre che dal più alto del colle si portavano al basso etc. » ID, ib, Appendice p. 13.

c) « Assise est encore à peu près ce qu'elle était il y a six ou sept siècles. « Le donjon féodal est en ruines, mais l'aspect de la ville est toujours le même avec « ses longues rues désertes, bordées de maisons séculaires.

« Étagée à mi-côte d'une colline que domine fièrement le mont Subasio, elle con- « temple à ses pieds toute la plaine de l'Ombrie depuis Pérouse jousq'à Spolète. *Les* « *maisons grimpent contre le rocher comme des enfants qui se pressent, se dressent* « *sur la pointe des pieds pour être bien sûrs de tout voir;* elles y réussissent si bien « que de chaque croisée on embrasse tout le panorama avec son encadrement de col- « lines moutonneuses, au sommet desquelles villages et châteaux se découpent sur un « ciel d'une limpidité incomparable. » P. SABATIER: Vie de S. François d'Assise, Paris 1899, p. 1.

d) « Certamente la vetustissima città *formata a scaglioni con grandi muri* « *di sostruzione,* che rimangono tuttora testimonio della potenza de' suoi primi abi- « tanti, era anche cinta di mura fortificate etc. » BRIZI, l. c. p. 29.

e) « La ville, s'étendant *en terrasses* tout le long de la « côte fertile » etc. » Guide-Souvenir d'Assise etc, Assisi 1900, p. 6.

f) In rudere unius ex huiusmodi muris, notabilis haec inscriptio defixa etiamnum asservatur, cui non nihil rationis cum titulo semiumbro quem ante exscripsimus esse videtur:

POST . MIMESIVS . C . F . T . MIMESIVS . SERT . F . NER . CAPIDAS . C . F . RVF . | NER . BABRIVS . T . F . C . N . V . VOLSENIVS . T . F . MARONES | MVRVM . AB . FORNICE . AD . CIRCVM . ET . FORNICEM . CISTERNAMQ . D . S . S . FACIVNDVM . COIRAVERE.

per gradus consurgens, formam velut scalae prae se ferens, quod uni Asisio, in Umbriae regione Etruriae proxima, aptissime conveniebat. — De hoc satis.

III

Umbria te notis antiqua penatibus edit,
  (Mentior? An patriae tangitur ora tuae?)
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
  Et lacus aestivis intepet Umber aquis,
Scandentisque Asis consurgit vertice murus,
  Murus ab ingenio notior ille tuo.
Ossaque legisti non illa aetate legenda
  Patris, et in tenues cogeris ipse lares:
Nam tua cum multi versarent rura invenci,
  Abstulit excultas pertica tristis opes.

PROP. IV. 1, 121-130.

Ariolum quendam poeta de se vaticinantem introducit in 1 el. lib. IV, qui sic incipit: — Natus es ex Umbrorum gente antiquissima (1), domo (2) fundis paternis notanda (3),

---

Alio quoque in titulo de muro fit mentio:

CN . FVFICIVS . CN . F | LAEVINVS . T . ALLIVS | C . F . IIII . VIR . I . D . | C . ALLIVS . C . F . C . SCAEFIVS . L . F . | VMBO . C . VOLCASIVS . C . F . PERTICA | Q . ATTIVS . Q . F . CAPITOL . VOLCASIVS | C . F . SCAEVA . V . VIR . S . C . | MVRVM . REFICIVNDVM | CVRARVNT . PROBARVNTQVE .

(1) 'Ομβρικοὶ . . . τὸ ἔθνος . . . πάνυ μέγα τε καὶ ἀρχαῖον (Umbri . . . gens . . . maxima et *antiquissima*).

(DION. HALIC. Antiq. Rom. I. 19)

« Umbrorum gens *antiquissima* Italiae existimatur. » PLIN. Nat. Hist. III. 14.

(2) Eodem hoc ordine etiam apud Ovidium, post *gentem, familia illustris* memoratur:

. . . . *Paeligni* ruris alumnus . . .
Siquid id est, usque a proavis *vetus ordinis heres.*

(Am. III. 15, 3, 5)

(3) Parva quidem periit, sed sine labe domus:
Sic quoque parva tamen *patrio* dicatur ut *arvo*
  Clara nec ullius nobilitate minor,
Et neque *divitiis* neque paupertate *notanda.*

(Ov. Trist. II. 110-13)

(Nonne verum utique dixi, Umbriam patriam [1] tibi esse?) [2] in illa, inquam, Umbriae parte, ubi nebulis saepe operta insignis rorat Mevania cavo iacens in campo; ubi nobilissimi gelidus Clitumni fons elicitur; et Asisium, urbs tua natalis, per gradus in collem consurgit. Etc. —

Notis penatibus (v. 121) opponuntur *tenues lares* [3] (v. 128), in

---

(1) Cf. *Umbria* Romani *patria* Callimachi.

(Prop. IV. 1, 64)

(2) Haud animo fidenti exceptus a Propertio vates dicendus est, qui tam multis, antequam de eo vaticinari coepisset (vv. 75-134), seque artemque suam extulerit. Ergo peropportuna, Umbria statim patria eius memorata (v. 121), interrogatio haec vatis videtur « Mentior? An etc? », velut gloriantis apud poetam mirabundum, cuius fidem sibi mox magis magisque conciliat, illius res multo interiores gradatim retegens: post *Umbriam universam, regionem domesticam, urbem natalem, domus ruinam, primaeque studia adulescentiae*: inde quid illi venturum sit praedicere pergit.

Hunc versum nonnulli sine parenthesi scribunt, quam alias etiam a nobis repudiatam hic reposuimus, perspicuitatis gratia, quae nimia in his rebus numquam habenda est.

Verum aliam, praeter has duas, interpungendi rationem vv. 121-6 prorsus respuere sane nesciam, quae ita se habet: « *edit. Mentior?... tuae,... tuo?* ». Quam si ceteris potiorem habeamus, locutio *patriae ora* referri debet ad insequentes versus, ita ut pro *parte* tantum Umbriae ea usus esset Propertius, quemadmodum Ovidius illo iam ante exscripto loco (Am. II. 16, 1):

Pars me Sulmo tenet Paeligni *tertia* ruris,
Parva, sed inriguis *ora* salubris aquis.

Dixerit ergo vates: « Nonne verum est, regionem tuam domesticam, in Umbria, eam esse, ubi etc.? ». Hanc et ego profecto potius tuear, ni longior praecipue interrogatio me detineat; maxime cum versus « Mentior? etc.? », in quo de *patria* tantum fit mentio, non absolute praecedenti respondeat, *patriam* prius, *domum* deinde commemoranti. Pace tua, candide Lector, unam de multis, neque eam maximi ferme momenti, quaestionem solvendam tibi liquerim.

(3) *Lares* idem hic sunt atque *penates*. Cf:

a) Hanc [lunam] ego suspiciens et ab hac Capitolia cernens,
Quae nostro frustra iuncta fuere *lari*...
Illa [uxor] etiam ante *lares* passis adstrata capillis
Contigit extinctos ore tremente focos,
Multaque in adversos effudit verba *penates*...
Se modo [narratur,] desertos modo complorasse *penates*.

(Ov. Trist. I. 3, 29-30, 43-45, 95)

b) Et parvam celebrare domum [nunc erat] *veteresque penates*
Et quae nunc domino rura paterna carent...
Miles ubi emeritis non est satis utilis armis
Ponit ad *antiquos* quae tulit arma *lares*.

(Ov. Trist. IV. 8, 9-10, 22-23)

quos, h. e. in parvam domum, (1) coactum se poeta fatetur pertica tristi Augusteae proscriptionis. Conspicuam inter cives divitiis familiam Propertiorum fuisse, praeter ipsius poetae verba, (vv. 129-130) plane declarant eorum tituli, sive quod plures exstiterint quam nobilissimae cuiusque veterum familiarum Asisiensium; sive quod nonnullis diversisque locis effossi sint in agro Asisinate, quibus locis etiam rura Propertiorum fuisse putandum est, more Romano sepeliendorum cadaverum in villis; vel quod libertos quoque Propertios hi exhibeant; praecipue vero quod vetustissimus lapis, agrarius terminus, quem supra rettulimus, arcaico sermone inscriptus, cum primoribus civitatis (ut aliis ex inscriptionibus Asisiens. colligitur: cf. nr. p. 77 n. 1 *f*) Propertiam quoque proferat familiam.

Quod vero alicui nobilitatis ordini Propertii adscripti essent, poetae temporibus, nullum certum habetur documentum. Hoc tantum inferre licet ex Propertii et Ovidii praesertim collatis verbis, quem, ut saepissime in Amoribus, praecipue ubi de se, vel de patria loquitur, Propertii vestigiis institisse necesse est admittamus: — Propertiorum familiam equestri dignitate recens decoratam fuisse, cum ex iis forte aliquis militans cum Romanis insignem in proelio laudem adeptus esset. (2) —

Dixi ego, cum geminos produceret Arria natos
(Illa dabat natis arma vetante deo):
Non posse ad *patrios* sua pila referre *penates*.

(Prop. IV. 1, 89-91)

c) . . . . fugiuntque *penates*
Quisque suos: sua cuique *domus* funesta videtur.

(Ov. Met. VII. 574-5)

(1) *a)* . . . Lydas tamen illa per urbes
Quaesierat studio nomen memorabile, quamvis
Orta *domo parva* parvis habitabat Hypaepis.

(Ov. Metam. VI. 11-13)

b) Hinc anni labor, hinc patriam *parvosque penates*
Sustinet, etc.

(Verg. Georg. II. 514)

(2) *a)* Siquid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,
Non modo *militiae turbine* factus eques.

(Ov. Am. III. 15, 5-6)

Non modo *fortunae munere* factus eques.

(Id. Trist. IV. 10, 8)

Qua nebulosa etc. Regionem patriam in Umbria describit [1] Propertius, praecipua eius cum natali urbe nominans loca, quae fuere *Mevania* et *fons Clitumni.*

---

b) Certus eras ehu ehu, quamvis nec *sanguine avito*
Nobilis et quamvis non ita dives eras.

(Prop. II. 24, 37-38)

Aspice me, cui parva domi fortuna relicta est,
Nullus et *antiquo Marte* triumphus avi...

(Id. ib. 34, 55-56)

c) Splendidum equitem Romanum iam diximus a Plinio Iun. (Epist. VI. 15) vocatum Passennum Paullum, genus a Propertio ducentem.

(1) Totum hoc est Propertii locorum genus describendorum. Cf:

Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, *Baiis*,
Qua iacet Herculeis semita litoribus,
Et modo Thesproti mirantem subdita regno
Proxima Misenis aequora nobilibus,
Nostri cura subit memores ah ducere noctes?

I. 11. 1.

Nox media, et dominae mihi venit epistula nostrae;
Tibure me missa iussit adesse mora,
Candida *qua* geminas ostendunt culmina turres
Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.

III. 16. 1.

Clausus ab umbroso *qua* ludit pontus Averno,
Fumida *Baiarum* stagna tepentis aquae,
Qua iacet et Troiae tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via,
Hic ubi mortalis dextra cum quaereret urbes,
Cymbala Thebano concrepuere deo:
At nunc, invisae magno cum crimine Baiae,
Quis deus in vestra constitit hostis aqua?

III. 18. 1.

Frigida tam multos placuit tibi *Cyzicus* annos,
Tulle, Propontiaca *qua* fluit Isthmos aqua,
Dindymus et sacra fabricata e vite Cybebe,
Raptorisque tulit *qua* via Ditis equos;
Si te forte iuvant . . . . .

III. 22. 1.

Lanuvium annosi vetus est tutela draconis,
Hic ubi tam rarae non perit hora morae,
Qua sacer abripitur coeco descensus hiatu,
Qua penetrat (virgo, tale iter omne cave)
Ieiuni serpentis honos, cum pabula poscit
Annua et ex ima sibila torquet humo.

IV. 8. 3.

Quod, qui sciam, cum nemo omnium prius animadvertisset, nil mirum tamdiu a vero longe omnes diversos aberravisse. Neque enim *iter* (ut praecipuas interpretationes

Mevania. Insigne municipium fuit Mevania (hod. Bevagna) iuxta viam Flaminiam, mediaque fere in Umbra valle sita, cui nomen etiam olim dedit (Serv. l. c.: « Mevania est *pars* Umbriae etc. »), quem dein honorem Spoletium consecutum est ([1]). Eius loci naturam, more suo, poeta nobis effinxit, et mirum quantum, quae de ea praedicavit « *nebulosa,* ([2]) *rorans,* ([3]) *in convexo iacens planitiei* » nunc quoque plane illi conveniant; neque ullus unquam alius tot tamque feliciter res uno versu forte est complexus.

Lacus Umber. In praecipuis patriae regionis locis Clitumnus haud praetereundus fuit poetae, qui Tullum amicum peregrinandi studio perpetuo absentem (cf. nr. p. 70 n. 1) Romam revocans, quippe quae nobilissimae cuique toto orbe terrarum urbi nihil cederet, inter miras eius res in primis memorat aquas Clitumni fontis Tiberi immixtas (III. 22, 23):

> Omnia Romanae cedent *miracula* terrae:
>   Natura hic posuit quicquid ubique fuit...
> Hic, Anio Tiburne, fluis, *Clitumnus ab Umbro*
>   *Tramite.* etc.

---

memorem) advenam docere (« *qua* nebulosa etc. »), neque *confinia* aut *vicina* patriae loca mens fuit poetae, quod prorsus tenere vetat trium propositionum, quam isti neglexerunt, coordinatio (vv. 123-4-5): « *qua* [in parte] est lacus Umber, *et* Mevania, *et* Asis murus »: sic ut, aut in itinere, aut in finibus, aut in vicinia, urbs quoque poetae necessario illis ponenda esset. Quod absurdum plane est.

(1) Ad Mevaniam « urbem Romanam expugnaturi, » bello Samnitico secundo, Umbrorum populi undique convenere, ibique (a. u. c. 445) memorabili proelio Romanis dicioni subiecti sunt. Liv. IX, 41.

Mevaniam insedit Vitellii exercitus ad Apennini transitum muniendum contra Flavianos praemissus. Ibi, magno comitante senatorum agmine, aliquot dies Vitellius ipse moratus est. Tac. Hist. III 55, 59.

(2) . . . . . [Mevania] latis
Proiecta in campis *nebulas exhalat inertes.*
(Sil. Ital. VI, 641)

(3) I. e. *frequens paludibus,* ideoque sane *nebulosa.* Cf:

> Tu cape spinosi *rorida* terga iugi.
> Lubrica tota via est et perfida: quippe *tacentes*
>   Fallaci *celat* limite semper *aquas.*
> (Prop. IV. 4, 48-50)

Natura loci palustris hodie permanet; at multo olim magis fuisse veri simillimum est, antequam in suos fines Umbrae vallis flumina cogerentur, quod fratres Benedictini fecisse primi traduntur. Cassiodorus autem testatur (Var. II. 21, 2) Theodorici opera « loca in Spoletino territorio *coenosis fluentibus* inutiliter occupata » exsiccata fuisse. — Nisi quis forte malit: *Mevania rorans* (h. e. *madens, umens*) *propter nebulas.*

Qui fons [1] per hominum ora, longa post oblivia, nunc iterum versatur, celeberrimo maximi illius nostrorum qui quidem nunc sunt poetarum carmine, cui titulus « Alle fonti del Clitunno; »

---

(1) *Lacum* pro *fonte* scripsit Propertius, cuiusmodi permutationis innumerabilia paene apud optimos scriptores, sive numeris adstricta, sive etiam soluta oratione, habentur exempla.

a) Ne tibi sint duri montes et frigida saxa,
Galle, neque *expertos* semper adire *lacus*...
At comes invicti iuvenis processerat ultra
Raram sepositi quaerere *fontis* aquam.

(Prop. I. 20, 9 et 24)

b) At cum demissis supplex cervicibus ibam,
Dicebar *sicco* vilior esse *lacu*.

(Prop. II. 14, 11-12)

. . . . . Nymphae quoque flere videntur,
*Siccatos*que queri *fontes* . . . . .

(Ov. Met. XIII, 690)

Hinc *fontes* natura novos emisit, at illic
Clausit etc.

(Ov. Met. XV, 270)

Stabam coram mundi procreatore velut *fons siccatus* (« wie ein versiegter Brunn »)

(Goethe, Werter, Am 3 Nov.)

c) [Columbae] Tingunt Gorgoneo punica rostra *lacu*.
Talia Calliope, lymphisque a *fonte* petitis...

(Prop. III. 3, 32 et 51)

d) . . . . at latis otia fundis,
Speluncae vivique *lacus* etc.

(Verg. Georg. II, 469)

. . . nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad *aquae* lene *caput* sacrae.

(Hor. Carm. I. 1, 21)

e) Et genus omne neci pecudum dedit...
Corrupitque *lacus*, infecit pabula tabo.

(Verg. Georg. III, 480)

Labitur infelix studiorum atque immemor herbae
Victor equus *fontes*que avertitur. etc.

(Id. ib. 498)

f) Dixit, deinde *lacu* fluvius [Tybris] se condidit alto.

(Verg. Aen. VIII, 66)

Quo te cumque *lacus* miserantem incommoda nostra
Fonte tenet . . . [1]

(Id. ib., 74)

(1) Duobus his Vergilii locis, quomodo *lacus* explicandus sit, aliquot de causis haud plane constat inter interpretes. Ni fallor, *lacu* ibi usus est Vergilius uti crebrius *gurges* translate adhiberi solet apud poetas, ad altas et copiosas aquas in unum collectas generatim intellegendas, sive de fluvio sive etiam de mari dicatur. Ita « Sirenum *lacum* » vocavit Propertius (III. 12, 34) eum tractum maris qui Sirenusas insulas alluit. Utut est, huiusmodi exempla allata illis volui, qui Propertianum « Umbrum *lacum* », ut verum lacum quoquo modo accipientes, hic illic cogitatione sibi effinxerunt, cum nullus in Umbra valle sit, aut umquam fuisse nullum exstet monumentum, nullum indicium.

sed longe olim notissimum vulgo fuisse memoriae proditum est. Vetustissimus enim Umbrorum indiges deus *Iuppiter* fuit *Clitumnus,* quem pluribus templis atque simulacris ad fluvii fontem venerati sunt, unumque ex Italis fluviorum dîs ad sortes quoque consulendas (1) populi adiere (2). Ergo celeberrimus fons ille fuit, sive quod re-

---

g) Irrita fallaci [Narcissus] quotiens dedit oscula *fonti*...
Et lacrimis turbavit aquas, obscuraque moto
Reddita forma *lacu* est.
(Ov. Met. III, 427. 476)

h) Pierius *lacus* (Tib. III. 1, 16); *fons* (Stat. Silv. I. 2, 6).

i) Castalius *lacus* (Stat. Theb. VIII, 175); *fons* (Id. ib. I, 565).

j) Stygius *lacus* (Verg. Anen. VIII, 296); *fons* (Stat. Achil. I, 133).

k) Iuturna *fons* (Serv. ad Aen. XII, 138); *fons* et *lacus* (Valer. Max. I, 8); *lacus* (Publ. Vict. in Reg. 8. urbis R.); *lacus* (Florus, II. 2); *lacus* (Ov. Fast. I, 708).

l) Fontem praeterea Clitumni nomen *lacus* potissimum decuit, quod, Plinio Iun. arbitro (Ep. VIII, 8), pluribus venis expressus in gurgitem coëuntibus *lato gremio* patesceret (1). *Lacum* eum vocavit etiam Philargirius (cf: nr. p. 87 n. 3).

m) Quod autem *Umbrum lacum* absolute, pro *Clitumni fonte,* dixerit Propertius, nil mirum, cum *Umbram silvam* absolute idem vocasset (« *Umbrae* sacra flumina *silvae* I. 20, 7 » — « Clitumnus ab *Umbro tramite* III. 22, 19 »), qua fons integeretur (Cf. Prop. II. 19, 25).

Ad hoc Clitumni fons seorsum (a fluvio a quo etiam ponte discernebatur: Plin. l. c.) suo persaepe iure celebratur. Ita factum est ut Vibius Sequester, in libello De fluminibus etc., unum Clitumnum inter fluvios itemque inter fontes poneret; quo Heselius Vibii editor (Roterod. 1711), incautius sane, haec adnotavit: « . . . Ceterum « nullus est fluvius, cui suus non adscribatur fons: quare rectius, me iudice, Clitumnum « haud adnumerasset inter fontes Sequester. » Etiam Philargyrius de fluvio et de fonte Clitumni separatim egit (cf. nr. p. 87 n. 2-3): neque temere « Clitumnum fontem » pro Clitumni f. dixit Plinius (cf. inf. n. 2). Sic, nostris quoque temporibus, ab iis qui circa habitant « Vene » aut « Vene di Trevi », sine adiunctione, fons Clitumni vocatur.

(1) Imperator quoque Caligula, qui nihil solemne praeteriit, contra Britannos, ut dicebat, profecturus, ad Clitumni fontem deliberatum antea se ipse contulit (cf. nr. p. 88 n. *i*).

(2) Plinius Iun. sic visum Clitumni fontem studio accensus amico statim describit: (Ep. VIII. 8) « Vidistine aliquando *Clitumnum fontem?* Si nondum (et puto nondum; « alioqui narrasses mihi), vide, quem ego (paenitet tarditatis) proxime vidi. Modicus « collis adsurgit *antiqua cupressu nemorosus et opacus:* hunc subter exit *fons* et ex- « primitur plurimis venis, sed imparibus, eluctatusque *quem facit gurgitem lato gremio*

(1) Cf. *a)* « Plinio (Epist. VIII, 8.) parla a lungo del Clitunno e del tempio a lui sacro. Il Clitunno, egli dice, « sgorga per molte vene da un piccolo colle boscoso e opaco per antichi cipressi, e appena sgorgato forma un lim- « pido e cristallino *lago* etc. » A. Vannucci: Storia dell'Italia Ant., 1876, vol. IV. p. 155.

b) « Quali fossero nell'antichità il Clitunno e i luoghi d'intorno piacerà al lettore di udirlo da un autore « di quei tempi, cioè da Plinio il Giovane, che così li descriveva ad un amico . . . Sotto un poggetto coperto di « folti e antichi cipressi, nasce un fonte da molte vene disuguali. e appena scaturito, forma un *laghetto* che si di- « lata così puro etc. » A. Sansi: Degli edifici e dei framm. stor. delle ant. età di Spoleto. 1869. p. 231.

ligione, [1] sive quod etiam amoenitate loci [2] homines ducerentur: neque enim deerant multae circa rusticantium villae [3], neque ba-

---

« *patescit* purus et vitreus . . . . . *Rigor aquae certaverit nivibus*, nec color cedit. « Adiacet *templum* priscum et religiosum: stat *Clitumnus ipse* amictus ornatusque « praetexta: praesens numen atque etiam *fatidicum* indicant sortes. Sparsa sunt circa « *sacella complura totidemque di* . . . Nam praeter illum quasi parentem ceterorum, « sunt minores capite discreti; sed flumini miscentur quod *ponte* transmittitur. *Is terminus sacri profanique* . . . *Balineum* Hispellates quibus illum locum divus Augu- « stus dono dedit, publice praebent, praebent et *hospitium*. Nec desunt *villae*, quae « secutae fluminis amoenitatem margini insistunt etc. »

Videas contra quam diversis verbis de Vadimonis lacu idem referat Plinius (Ep. VIII, 20): « Permulta in urbe nostra iuxtaque urbem non oculis modo sed *ne auri-* « *bus quidem* novimus, quae si tulisset Achaia, Ægyptos, Asia aliave quaelibet mira- « culorum ferax commendatrixque terra, audita perlecta lustrata haberemus. Ipse certe « nuper quod *nec audieram* ante nec videram audivi pariter et vidi. Exegerat pro- « socer meus ut Amerina praedia sua inspicerem. Haec perambulanti mihi ostenditur « subiacens lacus nomine Vadimonis etc. »

(1) Diximus de Caligula imperatore. Etiam Honorium traditum est iter de industria suscepisse ut Clitumni fontem obiret (Cf. nr. p. 88 n. *g*).

(2) *a)* « Di qua dal ponte [cf. Plin. nr. p. ant. n. 2], tutto era sacro alla religione « del nume; di sotto da esso erano i bagni, gli alberghi e le ville di delizia che si « succedevano sulla riva destra, più alta della sinistra e più vicina alle radici dei « monti (Ferrari, del Regolare le Acque nella valle Spoletina, capitolo I). Era dunque « questo, santuario insieme e luogo di diporto e di bagni, al quale per cotesta doppia « natura traeva gran gente. » A. Sansi: Degli edifici e dei frammenti storici delle antiche età di Spoleto, Foligno 1869, p. 233.

b) « Non potè tanto correr di secoli togliere l'amenità del paese che, assiso sopra « una fertile valle ora distesa in verdi prati ora vestita di olmi e di viti, e cinto di « lieti colli e di alpestri e svariati monti, con viste lontane di città e con vicine di « villaggi, e di case o sparse nel piano o biancheggianti su per l'erte, tra il verde « delle quercie e degli olivi, è anche al presente uno dei più poetici luoghi d'Italia. « L'illustre pittore Minardi ritraendolo qual'è, per ornarne le Georgiche tradotte dallo « Strocchi, ne ha fatto un quadro pieno di poesia virgiliana. Ma, tranne questa ame- « nità, le altre cose scomparvero o cangiarono quasi per intero. Più non v'è il bosco « dei cipressi; ai bagni e alle ville succedettero rustici abituri e molini; il fiume ha « perduto la sua antica ricchezza, o per effetto di tremoti che ne dispersero le vene . . . , « o per essere queste rimaste soffocate sotto gli enormi greti, che abbattuto il bosco, « furono formati dalle frane e dalle arene del monte . . . ; o, come è credibile, per « l'una insieme e per l'altra cagione. E di tanti templi che fecero dare al luogo il « nome di Sacraria, non rimase che un solo etc. » Id, ib. p. 233-4.

(3) Roma Cynthia rus decedente (Prop. II. 19, 1), Propertius quoque rusticatum Clitumni nemus et fontem petit (ib. 17-26). Deque eodem hoc loco forte locutus est Ovidius exsul, cum ex Ponto (Ex P. I. 8, 67) ad Severum amicum scripserit:

Te modo campus habet, densa modo porticus umbra:
Nunc, in quo ponis tempora rara, forum.
Umbria nunc revocat, nec non Albana potentem
Appia ferventi ducit in arva rota.

linea aestivo tempore (1) cum Clitumni aquae tepescerent (2), ingens praeterea parata venantibus aderat quoque silva (3). Sed, quod pluris interest, rituale fuit Romanis, in maximis triumphis, Umbrae vallis tantummodo ad sacrificia corpore et candore insignibus uti tauris, qui Clitumni fontis aquis solemniter ante lustrati essent; quos tauros Mevanates quoque vocabant, sive quod caput regionis, ut dictum est, Mevania tunc temporis esset, sive quod Mevaniam in Flaminia via sitam fluvioque proximam recta peterent missi Romani, deque Mevanatibus (4) potissimum mercatoribus tauros hi coëmerent. Hoc

---

(1) *Aestivis aquis* dixit Propertius. Sic:

a) . . . . *aestivis* effusus *nubibus* imber.

(VERG. Georg. IV. 312)

b) Non Anthedonii tegit hospitis inguina pontus
Blandior, *aestivo* nec se magis *aequore* Triton
Exerit etc.

(STAT. Theb. IX. 329)

(2) Contra Ovidius de fonte in quem lapsus Narcissus (Met. III. 407-12):

Fons erat inlimis, nitidis argenteus undis,
Quem neque pastores neque pastae monte capellae
Contigerant aliudve pecus, quem nulla volucris
Nec fera turbarat nec lapsus ab arbore ramus.
Gramen erat circa, quod proximus umor alebat,
Silvaque *sole locum passura tepescere nullo.*

(3) Permagni fuisse hanc silvam, haud minus ferme quam ipse fons fuerit, fidem facit Propertius qui ter de ea absolute mentionem habuit:

a) Huic tu, sive leges *Umbrae* (1) sacra flumina *silvae,*
Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes, etc.

(I. 20, 7)

Qua formosa *suo* Clitumnus flumina *luco*
Integit et niveos abluit unda boves.

(II. 19, 25)

Hic, Anio Tiburne, fluis, Clitumnus ab *Umbro*
Tramite etc.

(III. 22, 23)

b) Sic apud Svetonium videbimus, *nemus* quoque Clitumni Caligulam visere ivisse (cf. nr. p. 88 n. *i*).

(4) *a)* « Erano specialmente i candidi tori abbeverati alle acque del Clitunno, quelli « che colle corna dorate, ornati di bende e di ghirlande di fiori, e preceduti da suo- « natori di tibie e di flauti, erano condotti come vittime nelle pompe dei trionfi ro- « mani . . . Non era molto lontano dal fiume il luogo ove si riunivano e contrattavano

(1) De libris manu scriptis hoc uno loco deflectendum existimavimus, qui *umbrosae* uno consensu proferunt pro *Umbrae sacra* ut restituit Hoeufftius, cui Baehrensius assensus est. Et recte sane hi sic, mea quidem sententia, ut contra male *Silae,* pro *silvae,* repositum a L. Müllero, *umbrosae* retento; cum huic cum tertio relato Propertii loco ratio plane intercedat: ni quis vero putet *umbrosam silvam* a poeta absolute dictum pro nemore fontis Clitumni, quod nimis obscurum videtur.

igitur factum est ut, propter tauros, cum Clitumno Mevania a nonnullis Romanorum scriptoribus simul memoraretur (1), ita vero

---

« i buoi per menarli a Roma; ed abbiamo in Grutero un titolo spoletino, trovato in « que' dintorni, che ricorda C. IULIUS. NEGOTIATOR . . . OARI; cioè a dire FORI-BOARI, « del Foro-boario, che era senza fallo il nome antico dell'odierna Bovara (1) (Iscr. « n. 102) » A SANSI, l. c., p. 230-1.

b) « Il mite Virgilio se descrive le bellezze d'Italia, non dimentica il Clitunno « che vedeva i trionfatori romani fermarsi alle sue rive, prendere gli auguri del fati- « dico nume, immolare, massimo dei sacrifizi, il bianco toro presso le cristalline acque « del fiume educatore divino di candidi greggi etc. »

« Si fece una vasta solitudine dove un tempo l'Umbria festante accompagnava coi « solenni sacrifici dei bianchi tori i romani trionfi ai templi degli Dei etc. » A. LENZI, Le fonti del Clitunno etc, Siena MDLCCCLXXIX, p. 19-20.

c) Tituli duo Mevaniae asservantur, VIAM TRIUMPHALEM alter, alter SACRA CLITUMNALIA commemorantes, qui ad Romanorum, quae supra diximus, triumphantium sacrificia spectare videntur.

(1) *a)* Sed neque Medorum silvae ditissima terra,
Nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus
Laudibus Italiae certent, non Bactra neque Indi,
Totaque turiferis Panchaia pinguis arenis . . .
Hinc albi, *Clitumne,* (2) greges et maxima *taurus*
Victima saepe, tuo perfusi flumine (3) sacro,
Romanos ad templa deum duxere triumphos.
(VERG. Geor. II. 136.)

b) Est qui, *tauriferis* ubi se *Mevania* campis
Explicat, (4) . . . . .
(LUCAN. I. 473.)

c) Nec levior dextra generatus Amilcare saevit.
Huic cadit infelix niveis Varenus in armis,
Mevanas Varenus, (5) arat cui divitis uber
Campi Fulginia; et patulis *Clitumnus* in arvis
Candentes gelido perfundit flumine *tauros.*
(SIL. ITAL. IV. 546.)

d) . . . . latis
Proiecta in campis nebulas exhalat inertes
Et sedet ingentem pascens *Mevania taurum.*
(ID. VI. 641.)

(1) Bovara (S. Pietro di) - « Aujourd'hui, il n'y a plus que l'église et un monastier sécularisé. On y est à « une demi-heure des sources du Clitumne et il est bien possible que le nom de Bovara lui soit venu des troupeaux « de boefs qui s'y réunissaient.

« Hinc albi, Clitumne, greges.
« Virgile, Géorgiques II, v. 145. »

P. SABATIER, Speculum Perfect., Paris 1898, p. 408. n. 1.

(2) (Clitumne): *a)* *Clitumnus* fluvius est in *Mevania* . . . (SERVIUS)
b) *Clitumnus* amnis est . . . Significat autem boves *Mevanienses* qui sunt albi. — (PHILARGYRIUS)

(3) (Flumine): Clitumnus et deus et *lacus* in finibus Spoletinorum. (ID.)

(4) (*Mevania:*) in Umbria . . . cum *Clitumno* fluvio . . . . . (DOMIT. CALDER.)

(5) (Mevanas Varenus:) ex *Mevania* urbe Umbriae . . , ubi est *Clitumnus* fluvius. (PETRUS MARSUS)

ut alterum horum alterum saepe nomen necessario fere vocaret (1).

Umbrum lacum in Umbria paulo ante memorata, (v. 121) *balbutientis* esse poetae Baehrensius asseruit. (Prop. Ell. ad h. l.) Nobis satis sit animadvertere, omnes codices *Umber* protulisse, atque *Umbram*, quod audacius videbitur, silvam quoque absolute ita a Propertio esse vocatam, a qua Clitumni aquae manarent (cf. nr. p. 86 n. 3. *a*)

Asis codicum habent alii, in quibus optimi; *Axis* reliqui (2). Veri

---

e) . . . . . Qua nunc tibi pauper acerra
Digna litem? Nec si vacuet *Mevania* (1) valles,
Aut praestent niveos *Clitumna* novalia *tauros*,
Sufficiam; . . . .

(STAT. Silv. I. 4.)

f) Si res ampla domi similisque affectibus esset,
Pinguior Hispulla traheretur *taurus* et ipsa
Mole piger, nec finitima nutritus in herba,
Laeta sed ostendens *Clitumni pascua* sanguis
Iret et a grandi cervix ferienda ministro,
Ob reditum etc. . . . . .

(JUVEN. XII. 10.)

g) Quin et *Clitumni* sacras victoribus undas
Visere cura fuit. Nec te *miracula fontis*
Praetereunt . . . . .

(CLAUD. De VI. cons. Honorii. 506.)

h) Non tales, *Clitumne*, lavas in gurgite *tauros*,
Tarpeio referunt quos pia dona Iovi.

(ID. in Epigramm: Descript. arm.)

i) [Caligula] quum ad visendum nemus flumenque *Clitumni Mevaniam* processisset, . . .

(SVETON. Calig. c. 43.)

k) *Armentis* sublimibus insignis *Mevania* est.

(COLUM. De re rust. III. 8.)

l) Gargara proventu lecta triticeo; *Mevania* memoratur *armento*.

(LAT. PAGAT. Paneg. ad Theod. 4.)

m) *Clitumnus* [fons] *Mevaniae* est.

(VIB. SEQUEST. De Flumin. etc.)

(1) Ita sane ut, cum Mevania hic aperte memoretur, Clitumni fontem, vel hoc, *lacu Umbro* Propertium haud dubie intellexisse dicas. Cf. nr. pp. 87-88 *c-e-i*, praecip. *m*.

(2) *a)* « *Asis*. Sic incorrupti libri omnes; *Axis* correctio Italorum est, qui cum *x* « et *s* litteras ad sonum perinde haberent, facillima mutatione pro nomine ignoto vo« cabulum usitatum more suo reposuerunt. » HERTZBERG., Sex. Prop. Elegiae, 1845, vol. III, comment. ad h. l.

b) *Asisi* pro *Asis* scripsit Lachmannus, genitivi casus exitu contracto, velut *Patavi* (Verg. Aen. I. 247), *Canusi* (Hor. Sat. I. 5, 9: 3, 168), *Volusi* (Catull. XXXVI,

(1) Lucanus supra ostendit *Mevaniam*, secus quam *Clitumnus* labitur. (FLAV. BLOND. Ital. III.)

simile est urbis illud nomen pristinum [1] fuisse, iuxta *Asisium* recentius aliquandiu servatum [2].

---

1), *Domiti* (Iuv. VIII. 200); a Patavio, Canusio, Volusio, Domitio. — Lachmann. haec correctio universim hodie ab editoribus adoptatur.

c) Eximius Propertii editor Canterus hunc versum et v. 65 inter se conferens, *Asis* in *arcis* commutavit, quam postea lectionem per quinque iam saecula plurimi secuti sunt. In eius prorsus sententiam ivit, postremis hisce temporibus, et Plessisius (l. c. p. 187) talibus verbis: « Quant à la leçon des manuscrits, la comparaison avec « le vers 65 de la même pièce ne permet pas de douter un istant qu'il ne faille ré« tablir *arcis:*

« IV, 1, 65 *Scandentes* quisquis cernit de vallibus *arces*
« 125 *Scandentisque arcis* consurgit vertice murus. » [1]

Quibus manifeste evincitur, non idem Plessisium ceterosque illaturos fuisse si, ut potius debuerunt, cum hexametris pentametros quoque inter se contulissent (cf. nr. p. 75 n. 2):

— Scandentes quisquis cernet de vallibus *arces,*
Ingenio *muros* aestimet ille meo.
— Scandentisque Asis consurgit vertice *murus*
Murus ab ingenio notior ille tuo.

idest:

quisquis cernet de	vallibus	Scandentes	*arces - muros* [2]
consurgit	vertice	Scandentis Asis	*murus - murus*

d) *Asis scandentis murus* nihil aliud est nisi *Asis scandens,* ut Ovidii (cf. nr. p. 75 n. 1) *Sulmonis aquosi moenia* idem valet ac *Sulmo aquosus.*

e) Sunt quibus *Asis* nomine mons, quem nunc Subasium vocamus, intellegendus videatur: quod profecto vetat, ut alia mittam, adiectivum *scandens,* ad urbis formam graphice describendam de industria a poëta, ut vidimus, bis usurpatum (cf. nr. p. 76).

(1) « Sacra diesque canam et *cognomina prisca locorum.* » Hoc sibi proposuerat Propertius (v. 69 hu. el.) IV elegiarum libro canendum, nisi in orbem amatorii carminis a fatidico denuo esset revocatus. Aliquid ergo rationis inter nomen *Asis* et illud novum poetae propositum intercedere quis neget?

Neque auctor in hanc rem Politianus aspernandus, qui, in margine Propertii sui, quae sequuntur, ad hunc locum propria manu annotavit: « *Asis* [pro *axis*] legendum, « quod oppidum nunc Asisium dicitur, patria S. Francisci. »

(2) Eadem saepe urbs varie apud antiquos cognominata reperitur: *Ancon-Ancona, Corythus-Cortona, Croto-Croton-Crotona, Vettonium-Vettona,* etc. Consueverunt praeterea uno eodemque nomine appellari urbes et montes aut fluvii qui illis proximi essent; sic ut haud dubie *Asis-ii* et *Sub-asii* montis quoque nomina, antequam Latina essent reddita, eadem fuisse nobis conicere liceat.

(1) At Plessisius (l. c. p. 182 n. 5), qui *arcem* explicavit *hauteur escarpée,* haeret hic necessario in interpretando *arcis muro.* Sunt enim eius verba haec: « Peut-être *arx, arces* designe-t-il à la fois la hauteur sur laquelle est « bâtie la ville et les murs eux-mêmes, le tout ne formant, pour ainsi dire, qu'un seul bloc ».

(2) Cf. nr. p. 75 n. 2.

Vertice: translate pro *colle* (1).

Notior, i. e., *quam urbs per se ipsa sit.* Etenim qui hoc *notior* ad illud *notis penatibus* (v. 121) referunt, velut si *clara in urbe* ortum illic poeta se dixisset, praeter quam quod *notis penatibus* optime respondere *tenues lares* (v. 128) iam vidimus, obliti certe hi sunt, sine ulla laude suoque tantum ingenio aestimatione dignam urbem natalem paulo supra (v. 66) poetam memorasse.

Ad summam, ut paucis omnia complectamur, iam ex lapidibus apertissime liquet Asisium urbem patriam Propertii poetae fuisse. At idem abunde etiam colligitur e tribus elegiarum ipsius poetae locis: quorum primus (I. 22, 3 et 9.) *situm;* alter (IV. 1, 65) *formam;* iterum situm (ib., 121-4) et formam (ib. 125), *nomen* denique tertius (ib., ib.) urbis nos docent.

---

(1) « Absolute de monte aut *colle:* etc. » FORCELL. Ceterum figurate ea vi saepius invenitur apud Latinos scriptores *iugum,* quemadmodum apud nos, pro *colle,* frequentior est *pendice* quam *costa.* (Cf. nr. p. 73 n. 1) Mirum igitur et Propertium et Aligherium, de Asisii colle cum agerent, minus tritis utrumque nominibus usum esse: quod certe in primis obstitit quominus eorum sententiae recte ab omnibus intellegerentur.